HERZOG ERNST.

1. Antiquis in temporibus monarchiam tam Bavariae quam Austriae dux quidam Hernestus nomine hereditario iure possessam strenue aequissima lance iudicii gubernabat. iste ex aeque nobilissima alto parentum sanguine creta nomine Adelheida, corporis elegantia per omnia, sed et mentis pulcritudine decentissima, filium apprime speciosum et virtuosum generavit et suo patris nomini aequivocavit. post vero parvo temporis curriculo transcurso pater iura naturae viam universae carnis nutu dei ingressus persolvit. unde mater, quamvis mariti solatio destituta, filii tamen indole tanti, notabiliter in virile robur educati et tam in Latinam quam in Gallicam sed et Graecam linguam apprime per matris procurationem instructi, cum tota familia, immo et diversa Austriae et Bavariae natione per hereditariae ius successionis subdita, laetabatur. iste nimirum, homo factus totus ad unguem, cui claro sicut Grais dedit ore rotundo Musa loqui, postquam more ecclesiastico per sacerdotis benedictionem gladium cinxit, quendam virtutum multarum lima politum, linea consanguinitatis proxime astrictum comitem nobilem et divitem in socium asseruit. cuius consilio in prudentia serpentino et auxilio in illustrium et virilium actuum profectu leonino sub dominium suum et famulatum non tantum domesticos, sed et exteras vicinias constituit. tanti filii titulis et per omnia in virtutis et honoris augmentum in dies augescentibus profectibus genitrix congratulabatur et iuxta verba domini loquentis in apostolo

2. Hernestus *immer ab*. 4. sanguine creta *ist virgilisch*. 6. virtutum *ab*. 7. nomine *ab*. 11. nobiliter *b*. 16. ad unguem factus homo *Hor. serm*. 1, 5, 32. cui] et ei *ab*. Grais — loqui *Hor. a. p*. 323. 24. consciuit *b*. 26. congratulabatur *a*: ad degratulabatur *b*. in apostolo: *an Tim*. 1, 5, 5.

vere vidua sperans in deum et instans orationibus die ac nocte cum ceteris misericordiae operibus caelibem vitam ducere ad tempus pro aeternitatis bravio summo opere nitebatur. recalcitrabant tamen in se caelibatui sexus fragilis conditio, aetatis iuvenilis titillatio, divitiarum, nutricum incentivorum carnalium, accumulatio, praeterea quam plurimorum procerum genere forma divitiis et potentia praestantium cotidiana ad illam confluxio, super omnia gloriosi filii ad matrimonii contractionem iterandam frequens consilium et cum pia intentione gratia propagandae prolis praeceptio.

2. Gubernabat strenuissime illo in tempore Romani apicem et habenas imperii Otto imperator, Sclavorum et Frisonum et primatum Teutonicorum et aliarum plurium nationum subiugator, pacis et totius aequitatis humanae et divinae pius aemulator. iste trans flumen Albim inclitam civitatem Maideburg, intra quam egregiam in honore Mauricii et sociae Thebaeae legionis basilicam mirae fabricae fundavit, cum iure perpetuo ad supplementum latas agrorum vinearum pratorum et ceterorum huius humanae indigentiae necessariorum possessiones, unde sufficientissime sustentarentur inibi deo militantes, condonavit. hic enim in virtute vitam ducens in primaevo flore iuventutis sortitus est in matrimonio matronam sanctae conversationis et summae ad deum et homines virtutis Ottegebam nomine ortam de superbo illustrium Anglicorum regum stemmate. ista post aliquantulum convictus cum imperatore Ottone feliciter in omni honestate et bonitate transcursum temporis spatium ab hoc saeculo iure naturae per mortem persoluto migravit. cuius animam dominus imperator pia precum instantia caelesti imperatori, sed corporis materiam terrae in basilica condita conditae civitatis cum condigna exequiarum honorificentia commendavit. post aliquantum temporis a sepultura Ottegebae, dominae imperatricis, in

3. pravio *b*. 5. nutritum *ab*. 7. *vielleicht* procorum. 8. gloriosa *ab*. 12. Aurigabat *b*. 16. Elben *a*, eilben *b*. *vielleicht* inclitae civitati. 17. maideburgh *a*, maedeburch *b*. 22. inibi] ut ibi *ab*. 23. primaevo flore iuventus *Virg. Aen.* 7, 162. 31. corpus materiam *ab*. 34. Oittegebae dominae *b*, domine oittegebae *a*.

memoriam reducens apostolicum eulogium 'melius est nubere quam uri' communi principum suorum convocatorum ob hoc negotium et unanimi consilio praememoratam ducissam Adelheidam in uxorem imperatoriae maiestatis, apicibus transportatis per primatem prae aliis primatibus curialem et sciolum, imperatoris tanti tanto negotio condignum et congruum, petiit. illa quid super hac inopinata tantae personae tanta legatione et aliquantulum caelibatui initiato contraria dictu et factu opus sit filium suum et suos optimates in coetum consuluit. sed primitus diversi diversa, ut in tali negotio fieri solet, sentiebant. sed tandem dux ducissae tam filius quam eius paris amicitiae comes Wezelo et omnes qui aderant deo inspirante in unum consentiebant, scilicet ducissam sine dubitationis scrupulo debere assensum domino imperatori praebere. unde illa quasi futurorum nescio quo instinctu praescia apostrophans ad filium in haec verba prorupisse narratur. 'mi fili praecordialissime, timeo ne, si iuxta tuum et nostrorum optimatum consilium domini imperatoris connubio iungar, forte discordia aliqua inter te, magnanimum iuvenem, et inter illum suborta ego hinc prae nimia mentis absorbente tristitia viva consumar.' ad haec dux ait 'talia te, domina mater, a nuptiis imperatoris non absterreant, quia summi misericordia imperatoris accedente terreno huic imperatori adeo devotus, tam in adversis quam prosperis paratus, sincerissimae fidei brachiis ipsum et suos amplectar ut in oculis suae imperatoriae maiestatis gratiam perseveranter invenire merear.' ducissa, ducis, gloriosi filii, virilibus verbis animata, rigorem animi pro tempore demutavit et per legatum apicibus suis assensus ad futuri stabilitatem connubii significativis imperatori praefixo diei termino quo nuptiari cum ipso vellet significavit.

3. Imperator itaque super tali legatione satis hilaratus generalem curiam indicit, ubi universis tam principibus quam vasallis suis adunatis et associatis cum multa ambitione in locum quo ducissa manserat, ipsam a filio et eius optimatibus cum aeque non minima ambitione repraesenta-

10. coetum *a*: ceterum *b*. 12. tam] tanquam *b*. 23. absteruant *ab*. 24. accidente *ab*. 29. demonstravit *b*. 32. ipso *a*: eo *b*.

tam Maguntiam duxit. ibi nuptiis cum summis tripudiis celebratis quique tam princeps quam alii adventicii in sua rediere. imperator etiam lege thori laeta satis ad votum expleta ad exequenda regni negotia una cum imperatrice Adelheida diversos ad locos secessit. nec mora, dignis legatis delegatis ducem Hernestum ad se vocavit et sociorum clara comitante caterva illum cum imperatrice, matre ducis, benignissime salutavit, consalutatum in horum tenorem verborum apostrophavit. 'iuvenis genere et forma electe, mihi post matrem praedilecte, scire debes quia pro amore dulcissimae matris tuae mihi in omnibus morem gerentis loco filii te sum habiturus et ad honoris culmen quam maximum possum promoturus. quapropter et tu mihi talionem amoris sinceri recompensato utque Christianorum imperium sine caedis rapinae et aliarum illius generis pressurarum devastatione incolume deo annuente servetur elaborato.' fine orationis huius habito et a duce privigno magna gratiarum domino imperatori actione exhibita post aliquot dies inibi factos imperator et imperatrix singula donaria imperatoriam maiestatem decentia duci glorioso et sociorum suorum singulo donaverunt et cum summa benevolentia in sua redire a se dimiserunt. ea propter dux, miles excellentissimus, ubicunque necessitatis articulus imperatori ingruebat, pro imperatore se murum cum omnibus suis ponebat, cum vere sincerae dilectionis brachiis amplectens una cum paris amicitiae comite Wezilone et omnibus suis non privignum sed filium circa proventus et augmenta honoris imperatorii se fidelissime et indefesse exhibebat. sic mutua inter illos per aliquantulum temporis intervallum inviolata mansit amicitia, et ob hoc dux in curia imperatoris tanquam in propria domo familiariter, quia per omnia fideliter, conversabatur et ab universis iubente imperatore secundus ab illo habebatur.

4. Sed summa petit livor, perflant altissima venti. quidam nempe Henricus, comes palatinus, imperatoris con-

3. leges *ab*. 4. exequendi *ab*. 6. delegatis] elegatis *b*, eligatis *a*. 7. comitante caterva *ist virgilisch*. 8. verb. ten. *b*. 15. huiusmodi generis *b*. 27. prevignum *a*, privignitim *b*. 34. proflant *ab*: *vergl. Ov. rem. am*. 369.

sanguineus, fornace invidiae in ducem sine confictis ambagibus dum mentitur laborans, quasi alter Ahitophel eum accusavit, 'o patriae' inquiens 'pater generalis, sed meus specialis, in quo post deum tota mea spes dependet, habeo secreta, sed prodigiosa et facinorosa, quae ad vos perferam. dux Hernestus, quem loco filii a vobis secundum in curia vestra prae cunctis primatibus amatis et honoratis, vestrae dulcissimae vitae mortem et a regni solio depositionem omnimodis machinatur eo fine ut ipse regno sine regni consorte potiatur, et nisi in brevi maiestas vestra iaculum suae machinationis per clipeum providae discretionis excutiat, feriet quodcunque minabitur arcus.' huic imperator 'dura sunt' inquit, 'mi nepos, quae defers et suggeris. quibus, si quis alius praeter te apud me de tam amatissimo mihi principe deferret, nulla ratione fidem adhiberem, sed pro ficticio manifesto reputarem et delationem talem non alia mercede quam capitis obtruncatione remunerarem. ingruit enim hinc mihi duplex periculum, scilicet tam probatissimi per omnia mihi principis discidium et imperatricis praecordialissimae, si illum offendam, offensaculum. sed quia tuta fides nusquam, qua fallimur omnes, ego illius perfidiae machinationem, quam nulla alia persona nisi te nepote deferente curarem, frustrabor et quem honoris mei cepit vitrea fama humiliabo, quia per me hunc circumtonabit gaudens Bellona cruentis.' ad quem non creta sed carbone notandus comes 'mi domine, meum, si placet, super digna tanti facinoris ultione audiat celsitudo vestra consilium. haec res amoris nec modum habet neque consilium, ratione vero tractari vult. in amore haec sunt mala bellum, pax rursum. quae ideo dixerim ut cautum vos reddam, ne imperatrici, cui totus amor vester invigilat, prodita intimetis, quia filium cautum et armatum contra vos reddet, filialem amorem maritali amori forte

1. fornacem *ab*. 3. meus] non deus *ab*. 12. feriet] fieret *ab*: *vergl. Hor. a. p.* 350. 14. quibus *a*: quae *b*. 21. nusquam tuta fides *Virg. Aen.* 4, 373. 24. quem cepit vitrea fama, hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis *Hor. serm.* 2, 3, 222 *f.* 28 amor haec res nec *a*. 29. non vult *ab*. in amore — rursum: *vergl. Ter. Eun.* 1, 1, 14 *ff.*

praeponens muliebri levitate. nam varium et mutabile semper mulier. quin immo mihi clam collecto per vos exercitu negotium persecutionis meritae in illum committite: ego illi talionem facinoris recompensabo.' huius huic consilio imperator annuens et in brevi grandem militum phalangem colligens illum clam regina et curiae familia ad inferendum persecutionem duci Hernesto comitem palatinum misit.

5. Ille in malitia glorians, per imperatorem potens, iniquitate caedibus rapinis incendiis et aliis huius generis cladibus provinciam Austriae tunc Hernesto subiectam, sed post Herbipolensi ecclesiae pro amore contraditam, infestabat et nesciente iam dicto illius provinciae dominatore Hernesto Babenberch obsidione vallabat. burgenses vero, quamvis inopinata et subita obsidione, tamen hospites infeste suscepere et hospitio susceptorum funesto frequentissime tam clanculo quam in propatulo portis armati erumpentes multam stragem in vallatores exercuere et multorum animas Plutoni transmisere. cognito vero iussu imperatoris duci offensi obsidionem hanc fieri per palatinum, sine mora per nuntium velocissimum rem omni ordine duci significabant et ut ad eorum liberationem venire maturaret supplicissime implorabant. legatus vero multis in partibus duci quaesito, sed tandem invento, legata insinuavit. dux non satis admirando stupens, qua de causa oculos imperialis serenitatis offensos inopinate sensisset, cum moerore in haec verba prorupit. 'testor deum cui omnis loquitur conscientia, me circa domini imperatoris ac si corporalis patris honorem omnimodis insudasse diligentia. unde speravi melius, quia me meruisse putavi. at comes Henricus sine re nobis inimicus haud impune feret, licet huic rex fautor adhaeret.' nec mora, mysterium consi-

1. varium *u. s. w.*] *vergl. Virg. Aen.* 4, 569. 12. contradictam *ab.* 16. susceptorum] suscipientes? 20. offenso *ab.* 25. non satis admirando stupens: *vergl. cap.* 27 non satis stupendo mirantur; 28 non satis admirans; 35 non satis admirando stupuit; 36 nec satis admirando stupentes. 29. honorem *auch nach* imperatoris *ab.* 30. speravi *u. s. w.*] *Ov. her.* 2, 61. 31. sine re *gleich dem deutschen* âne sache.

lii cum suis symmystis iniit quid opus facto esset, castra sua quae nondum erant expugnata et imperatoris militibus non occupata contra belli aleam communivit, legatis ubivis gentium directis ad conciendum praesidium equitum mente leonina collegit milia trina. quis fretus turbis pavor hostibus et favor urbis advolat et in conticinio tempestae noctis castra hostium improvisorum invadit et nullum in vincula coniiciens omnes quos reperit sine misericordia aut occidit aut semineces protrivit aut in fugam compulit. eiusmodi fugae auxilio ipse etiam comes vix elapsus est, sed dux burgensibus redditus est et breviter sed devote salutatus. ille vero, videlicet palatinus, quamvis multis mortibus suorum adventum ducis male compertum habuit, mente virili recollecta omnes qui fugae praesidio mortem evaserant resociavit et dispositis ordinibus acierum magnanimiter in bellum contra ducem occurrit. nec minus dux tam adducticios milites quam civitatis incolas in aciem disposuit prudentissime et brevi quidem pro tempore sed sale sapientiae condita ad bellum exhortatione usus ab urbe inobviam comiti quasi verus Machabaeorum princeps processit et, ut utar compendio, victoria, quae aliquandiu dubia utrique pendebat, duci, rationabiliter iustitia pro eo pugnante, non tamen sine partis suae aliqua strage, cessit.

6. Unde illo, videlicet duce, cum suis super potito triumpho condigne exhilarato et de spoliis caesorum et fugatotorum opulentissime ditato, comes Henricus cum paucis vitae dedecorosae fuga vix servatus imperatorem tristis adiit et eius pedibus provolutus tragoediam suam meritam vix singultibus editam exposuit. super qua re dominus imperator diram succensus in iram duci suisque mortem vel exilium minatur et in brevi, si vita comes foret, se ulturum fore tantum dedecus vociferando protestatur. interea dux saepe memoratus, ubi nimietatem cladium in villis

1. simmiste *a*, *fehlt* *b*. esset. habuit castra *ab*. 2. imperatoribus m. *b*. 3. galea communivit *b*, galea communiit *a*. 4. consciendum *ab*. 5. qui *b*. 9. protritit *b*, proterit *a*. 22. aliquando *a*, aliquin *b*. 26. condigno *ab*. occisorum *a*. 29. et eius] eius *b*, ei *a*. 32. comiti *a*.

vicis civitatibus devastatis et in castellis expugnatis et iam per imperatoris homines occupantes illa a suo domino alienatis animadvertit, strenuum legatum ad explicandum iniurias ab imperatore illatas destinavit. is rumpendo moras cito deveniebat in oras quis regina fuit cunctaque perdocuit. hunc per rumorem reperit regina dolorem. mandans legato pausare parum memorato, dissimulans tamen anxietatis nimietatem per vultus hilaritatem, imperatorem adiit et aliquantis usa ambagibus tandem occasione, quadam de filio nacta miserabiliter sic exorsa est. 'mi domine imperator, per summi amorem imperatoris et meum celsitudinem vestram imploro et implorans exoratam esse summopere desidero, ut siqua temeritatis aut culpae praesumptione ille meus unicus filius offendit oculos vestrae serenissimae maiestatis, principaliter pro dei et secundario pro mei amore remittatis, sin autem, saltem secundum decreta et canones generale colloquium tam primatibus quam vasallis vestris, sed et filio meo, edicatis, et si quam habetis offensae rationabilis in eum causam, nisi se purgaverit ab obiectis, prout scita canonum et decreta iustitiam de eo dictaverint lata generali principum sententia satisfactionem condignam in ipsum exerceatis.' rex illico nubiloso vultu et in terram ad tempus defixo iracundiae stimulis exagitatus ait 'o domina, satis sincere te amo, sed tuae petitioni in hoc prorsus reclamo, quia fixam et immobilem in corde posui sententiam, ne filius tuus ullam apud me inveniat clementiam, cum ipse, prout ab intimo quodam meo delatum est mihi, pro usurpando sibi regno molitus sit vitae meae exitum, inopinatum ab eo cui me patrem ostendi per summam diligentiam.'

7. Animadvertens imperatrix imperatoris immensam iracundiam subito se imperatori absentavit et in basilicam properans solotenus pavimento prosternitur et tota cordis contritione adiutorem in opportunitatibus, in tribulatione, imploravit. 'o' inquit 'Christe Iesu, tu lapis ille quem Sibyllae praedixit oraculum, primo spretus et deletus, modo tenes angulum: tu, inquam, impera-

6. iuniorem *b*, timorem *a*. peperit *ab*. 34. adi. *u. s. w. ps.* 9, 10.

tor imperatorum, quem Zacharias pingit septem oculorum, eo quod in te corporaliter sit plenitudo septem sancti spiritus donorum, nunc dignare mihi quamvis peccatrici revelare quis sit auctor tam perniciosae de filio meo ad imperatorem delationis.' regina necdum verba finierat et vox facta est de caelo, dicens 'Henricus comes palatinus est auctor criminis huius.' unde domina moesta et flebilis in praesentiam imperatoris se proripuit et sibi assidentem iam memoratum comitem conspiciens ait 'o iuste mortuorum et vivorum iudex deus, videas et iudices, tradens in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, illum, inquam, cuius perversitas horum dolorum intolerabilium vulnere cor meum intime vulneravit in hoc quod filium meum gratia domini mei per mendosam imo et facinorosam delationem laesae maiestatis privavit. comes Henricus, nihil in vos mali commisit unicus meus pro cuius talione necesse haberetis minare ipsum de paternae hereditatis possessione. scitote ergo, scitote quia in foveam quam fodistis incidetis, iuxta illud eulogium "frangit deus omne superbum, disce cavere

ante pedes foveam quisquis sublime minaris."

regina post huiuscemodi verborum propheticorum profusionem sentiens non parvam per eam regis indignationem ab ipso in caminatam secessit et legato supra memorato accito imperatoris iram implacabilem circa ducem, et huius irae auctorem esse comitem palatinum Henricum, suggessit.

8. Ea propter nuntius a regina non sine magnis donis dimissus in Bavariam cursu pernicissimo advolat et invento duce in quodam suo castro iram regis et irae auctorem Henricum indicat. his auditis dux ait 'quandoquidem terrenus rex suam sine causa intenderat offensionem, rogandus est rex caelorum ut nos et nostra sub suarum alarum assumat protectione.' deinde de perfidissimi cogitans ruina ipse assumpto sibi Wezelone comite et tertio, quibus eadem quae et sibi magnanimitas inerat leonina, ascensisque

1. Zacharias 3, 9. 7. mestis *a*. 11. qui perverse cit' *a*, qui perversor sit *b*. *meine verbeſserung ist sehr unsicher* 13. gratiam *ab*. 19. ſrangit *u. s. w.*] *Prudent. psych.* 286. 288. 21. prohibitorum *a*. 27. promptissimo *a*. 29. dux *fehlt b*. 34. ascensis *b*.

praestantissimis caballis Franciae braccatae regna petiit peregrina. norunt enim quod imperator regalem curiam celebraturus esset in Spiria. quo ut sine omni comite a tribus illis ventum est circa vespertinum tempus, in curiam equitabant et a caballis desiliebant. dux vero assumpto comite Wezelone consanguineo, caballisque commendatis tertio inibi praestolari cum equis iusso, in aulae penetralia, in quibus iam cum Henrico comite palatino imperator mysteria consiliorum tractabat, pernici gressu properat, et caminatae valvas non caute ac nimis improvise camerario pessulo non obstrusas temere reserat et ex improviso duobus, scilicet comiti et imperatori, duo superirruentes evaginatis mucronibus comitem summa aviditate iugulant. ipsum quoque imperatorem, nisi maturasset fugam prosiliens ultra scamnum in capellam, et vita et regno privare disposuerant. dux ubi compos erat facti quod diu multumque exaestuaverat, scilicet mortis Henrici comitis, in haec verba prorupit. 'nullam gratiarum referam imperatori actionem propter sui absentationem. si enim praesto apud te, comes Henrice, remansisset, talionem iniuriarum per te inspiratarum, nunquam circa illum nec circa te nec circa quemquam vestrum meritarum, recepisset. tu vero, deus misericordiose, quod tuum est operare, ut, quandoquidem caro Henrici per pessimum perfidiae suae meritum tradita est in interitum, saltem spiritus eius salvus fiat.' haec ait et revaginatis gladiis ipse cum socio Wezelone ex aula se pernicissime proripuit et unusquisque suo caballo insiliit et discessum est.

9. Facta est illico tumultuationis per aulicos et per aliam imperatoris familiam vociferatio super palatini comitis occisione per ducem Hernestum perpetrata. nam super hoc volat fama, malum quo non aliud velocius ullum mobilitate viget. qua exciti totius curiae primates adventicii cum suis asseclis, insuper civitatis Spiriae capitanei et amici mensarum Gnathonici eorum adcurrunt, convicanei aulae irruunt, quid circa quem per quem factum sit inquirunt, comitem palatinum in sanguine volutatum capite

3. quo ubi *b*. 21. contra *alle drei mahl a*. 23. misericordiae *b*.
32. fama *u. s. w.*] *Virg. Aen.* 4, 174.

a trunco longe disiecto reperiunt. unde sine morulae dilatione ad hospitia recurrunt et iniectis armis gladiisque super femur accinctis parmisque a laeva lanceis a dextra homicidii commissores fine districtissimae ultionis quaeritant et insecuntur. sed noctis tenebris eorum hemisphaerium occupantibus ad investigandum ulterius in remotis locis homicidii commissores praepediuntur, communi consilio in civitatem unusquisque in suam mansionem revertitur. nec minus Hernestus et Wezelo cum commilitone tertio in sua regrediuntur. caesar vero ubi laesores regiae maiestatis incolumes evasisse nepotemque suum spiritum efflavisse comperiit, toto fremens et moerens spiritu in caminatae penetralia abiit et se ultum ire tanti facti praesumptionem minatur in crastinum per immoderatam districtionem. imperatrix vero tantum tam subito exortum in aula strepitum audiens et tandem facti qualitatem cognoscens extra caminatam se ad corpus exanime proripuit inquiens

'en Henrice, caput tibi trux ducis abstulit ensis.

parum vel nihil plangam carnis tuae mortificationem, sed intime optabo spiritus tui salvificationem.'

10. Illucescente die postera imperator post honorificentissimas comitis cum fletu et planctu exequias apud omnes principes querelam tam temerae praesumptionis ab Hernesto duce commissae deposuit. unde data in ducem et socium Wezelonem generali principum sententia provinciae ditioni eorum subditae et feoda et cetera bona eorum tam mobilia quam immobilia extra usum et proprietatem eorum abiudicata in ius et usum regii fisci publicanda decernuntur, ambo etiam ex imperialis maiestatis auctoritate ubivis terrarum agi iussi sunt. emenso postmodum parvo temporis intervallo imperator omni auxilio ad se confluentium principum et vasallorum fretus triginta armatorum milia collegit, Bavariam petiit, et in primo furoris bellici impetu Ratisponam obsedit. at burgenses per ferrugineos enses hospites invisos salutarunt et quam plurimorum sanguinem interemptorum terrae propinaverunt. unde exacerbata imperatoris iussu omnis suorum multitudo armata quaqua-

3. pro armisque *b*. 10. ubi *a*: ut *b*. 18. trux tibi *a*, et trux tibi *b*. 30. angi *b*. emerso *b*. 32. collegio *b*.

versum urbem summo impetu belli impugnat et expugnare nititur. non minus obsessus civis magnanimiter a murorum summitate tela sudes saxa et multa id genus super impugnantes intorquens ad urbis defensionem hostibus mortem ingerere molitur. sic utrinque diu multum viriliter pugnatum et ab utrisque fortiter factum est. tandem cum magna utriusque strage, sed caesarianorum multo maiore, lis dirempta est. duo enim virorum fortium inibi occisorum milia recensita et ad sepeliendum dilata ferebantur. praeterea quam plurimi vulnerati, qui post in brevi diem ultimum sortiti obierunt. burgenses etiam suorum funera planxerunt et tandem communi consilio per legatum velocissimum in sonipede praestantissimo duci miseram urbis conditionem et imperatoris non modicam indignationem significavere et tam auxilium quam consilium suum in brevi affore imploravere. dux ergo de tali legatione admodum turbatus nuntium burgensibus remisit et in brevi se affore promisit.

11. Ipse vero ducem Saxoniae adiit et tam benigne quam condigne ab eo cum suis susceptus in hunc modum in caminatae penetralibus lacrimabiliter exorsus est. 'o generis et morum generositate praeclarissime domine, permaxime periculosus articulus necessitatis compellit me explorare et implorare (uti contingat exorare!) excellentiam leoninae vestrae virtuositatis propter multas sine causa illatas mihi a domino caesare iniurias et contumelias, quarum Iliadem retexere perlongum est nec necesse eo quod frequens fama super illis vestras satis attigerit aures. et iam Ratisponam meam obsidione idem rex vallavit et multos principales meos ministeriales enecavit. tu ergo, princeps nobilissime, quia ut medici peritia in maxima infirmitate sic amici amicitia cognoscitur in summa necessitate, clarifica et conserva in meae summae necessitatis articulo tuarum excellentiam virtutum, manum auxilii et consilii mihi porrigendo ad hoc

3. id generis *ab*. 4. intorquens et ad *ab*. 6. fortiter factum est *wie das deutsche* ez wart wol getân. 7. caesariorum *ab*. multitudo *a*. 8. duorum *a*. 16. fore *a*. *vielleicht* afferre *oder* ferre. dux igitur et tali *b*. 20. susceptis *ab*. 24. uti *b*: nec *a*.

saltim ut tui ducatus munimine possim Ratisponam subire et post exhortationem deditionis ad burgenses habitam vita et facultatis substantia quantam quisque ferre potest pacta queam iterum abire.' huius huic petitioni cum plena animi super illius condescensione necessitatibus dux Saxoniae annuit et illico ubivis terrarum collectis quinque milibus armatorum et semis commendavit eis sub suae gratiae et dilectionis obtentu ducem Hernestum, ut pro nosse et posse suo circa illius protectionem contra tam caesaris quam suorum et quorumcumque adversariorum infestationem insudarent et in Ratisponam ducerent et educerent eductumque in suae securitatis loca adducerent.

12. Ipse etiam dux Saxoniae primus imperatorem obsidioni incumbentem adiit et perveniens honorificentissime et a caesare et omnibus obsessoribus susceptus est. sed cum fama volans percrebruisset aures caesaris et suorum de ducis Hernesti adventu, ingens fit strepitus, caesar et caesarianus miles armis iniectis cito induitur. quo viso dux Saxoniae aliquantulum terretur et quia tam subito et improvise imperatoriae praesentiae supervenerit poenitens et tamen dissimulans artificiosa verba in hunc modum fudisse perhibetur. 'est sine re multus fremitus vesterque tumultus. ad obsequium namque caesaris omnes parati venimus, pacem, non arma ferimus. militum namque catervas, quas adventare protervas cernitis, non ducis sed meas esse sciatis. multum enim de vestrae, mi domine imperator, celsitudinis virtuosa mansuetudine confidens ob frequens et fidele imperio impensum a me obsequium duci Hernesto ducatum intrandi Ratisponam dedi, ut ille burgensibus deditionem suadeat et iterum meo ducatu in suam securitatem abeat. huius, domine, ducatus executionem ut ratam fieri sine honoris mei detrimento sinatis rogo quam intime vestrae serenitatis oculos.' huic petitioni fremebunda ministerialium et vasallorum imperialium iuventus obstrepit. unde dux indignans abscedere voluit, sed imperator edicto parum silentio duci iracunde respondit 'dux

2. vitam *ab*. 4. quaedam *a*. 5. animi *fehlt b*. 7. semis *a*: singulis *b*. 16. percrebrum *a*. de *fehlt ab*. 17. adventum *ab*. fit *fehlt a*. 22. vesterque] utrumque *ab*.

Henrice, nimis praesumptuosus et tam imperio quam eius principalibus et ministerialibus huiusmodi ducatus est adversarius, quin et contumeliosus: non enim pacis sed belli faciem ille ducatus praetendit. sed criminator regni, sicut prius comiti palatino mortem iuxta latus meum contra fastigia regalis imperii intulit, imo et mihi vix in capellam delapso fuga inferre disposuit, ita nunc in me et meos caedes et mortes exercere tam maxima stipatus equitum comitante caterva intendit.' haec ait et more Marii, qui didicit Syllanum lambere ferrum, gladios iracundiae plenis oculis circumspexit. unde sine mora ministeriales caesariani cum magno cuneo ad imperatorem irruunt. quo viso dux Saxonum et sui brevi accepta licentia cum indignatione abeunt. burgensis prima iuventus huius caesarianorum quasi belligerantium tumultuationem a murorum propugnaculis praesentientes armorum indumentis se munivere et arrepto vexillo de portis cum fortissimo animosorum cuneo prorupere, et procul dubio in obsessores magna strages perpetrata per obsessos fuisset, nisi caesar prudentum consilio usus litem futuram pace ad tempus confirmata dimisisset. suggesserant namque illi caesari, quod si dux Saxoniae propter ducatus promissi et exequendi duci Bavariae abnegationem se illi confoederaret, quod ipse dominus caesar magnum laborem incursaret. imperator itaque sine dilatione ducem Saxoniae revocari mandavit. ad quem revocatum et praesto his verbis apostrophavit. 'tam primates quam ministeriales mei, dux, te affatim amant. unde consilium mihi dant ut supra ducatus tui executione morem tibi geram. tu vero, princeps nobilis, patrissare stude et fidei sinceritatem quam ego et regnum tibi exhibemus tu quoque non fucare neque infringere sed intemeratam circa me et imperium servare memento.' dux Saxonum cum gratiarum actione fidem servaturum caesari spondebat et sine mora ducem Hernestum in urbem produci licentiose iubebat.

2. huius d. *a*. 3. quia *ab*. enim] etiam *ab*. 4. terminator *b*. 10. Sillanum *a*, manu *b*. *vergl. Luc. Phars.* 1, 330. 11. inspexit *b*. 14. burgenses *a*. 18. prorumpere *ab*. 21. illi namque *b*. 30. fidei *fehlt b*.

13. Super qua re valde laetatus Hernestus a burgensibus gratanter suscipitur, ubi sint protervae militum catervae, quos ipsi prius sibi a latere associatos conspexerant, perquiritur. quibus ille 'non attinent' inquit 'illi ad dominium meum, sed ad ducis Saxonum pertinent imperium, qui eos ad meum mihi accommodaverat praesidium.' quo audito tristitia tristitiae urbanis accumulata est. expositis tandem multifariis cladibus et suorum concivium multis caedibus dux deplangens et clades et caedes cum magna cordis contritione et querelabundae vocis deploratione ait 'o semper fidelissimi mei, voluntas quidem vos liberandi ab ingruentia tantorum periculorum suppetit, sed possibilitas deficit. inde est quod bona fide consulo ut civitatem imperatori pacta vita et semel efferenda a quolibet habili substantia urbem dedatis. vos et vestra committo protectioni divinae pietatis.' haec ait et moerens a moerentibus, deliciosis etiam matronabus flentibus, dux extra urbem excessit et rursum fretus auxilio Saxonum in sua tristis abscessit. at caesar ubi urbem tribus mensibus obsessam vidit non posse sine machinis expugnari, iubet ubivis gentium arborum robora detruncari. ex his scilicet tormenta sive machinas et quatuor vineas sua altitudine murorum altitudini aequantia, praeterea balistas extruxere. haec in vallum animosi hostis propulsa locavere. sed burgenses illa propellere, diruere, ignibus exurere cum omni conamine sed frustra pertemptavere. caesariani etenim multa urbanorum propugnacula tam in muris quam infra muros locata machinis disiecere. propter quod grave incommodum Ratisponenses obstupuere et pacem postulantes postulatam impetravere. post tandem pacta vita et parva quantam quisque ferre quivit rerum carissimarum substantia ipsam urbem exeuntes imperatori dedere. imperator itaque deditam civitatem evacuatam civibus suis vasallis munivit et ipse cum residua multitudine adhuc tam permaxima sublatis tentoriis et crematis militaribus ad tempus

3. astriatos *b*. 4. perquirunt *b*. inquiens *ab*. 14. offerenda *a*. 22. machinas mangen *ab*. vineas] minas berefrit *ab*. 23. balistas phedemte (*lies* pheteraere) *a*, balistas pheil *b*. exercere *ab*. 24. hospites *ab*. 33. suis civibus *b*.

exstructis mansiunculis in ulterioris partes ducis Hernesti fremebundus abscessit. deinde post sermonem commendaticium exhortatorium, quem causa vitandae prolixitatis, quae est mater fastidii, supersedi, postque pro sua voluntate liberalissima ingentium distributionem suis donorum tripartivit exercitum. unam nempe partem cum illi praefecto principe in Austriam, alteram partem cum altero suo principe in partium Danubio adiacentium devastationem direxit, ipse vero tertia parte assumpta in provincias Lech fluvio conterminas, praeterea etiam in terras utrique litori fluminis Moen contiguas, diversis cladibus eas consumpturus, iter flexit.

14. En ponderibus modulisque suis ratio utitur imperatoris. praedia namque ducis in fiscum regium publicata usurpavit, civitates diruit, villas igne devastavit, castra expugnavit et expugnata suis inhabitanda et munienda contradidit et omnimodis ducem non sine permaximo suorum detrimento depauperavit. ille etiam, suo pari suae amicitiae Wezilone assumpto et ceteris sicut ipsi erant leonina magnanimitate affectis comitantibus, omnia imperatoris et suorum complicium ditioni subiecta caedibus rapinis incendiis vastavit, urbes et castra aliquot expugnavit et iniuriarum suarum illationem pro morte multorum etiam nobilissimorum vendidit. veruntamen quia non nescivit longas regibus esse manus (iuxta illud poeticum 'an nescis longas regibus esse manus'), decrevit ad tempus imperatoriae maiestati cedere quam semper contentionibus, imo et caedibus multorum, desaevire et ob hoc aeternas poenas, nisi caelesti imperatori ante diem obitus de commissis satisfaceret, subire. quinquaginta igitur milites genere forma et moribus praeclaros convocavit et convocatos brevi sermone in hunc modum apostrophavit. 'multa me dehortantur de coepta in imperatorem impugnatione, Quirites. unum quia desunt mihi militum stipendia, alterum quia sicut navis contra impetum fluminis perparvo tempore im-

5. distributionum *a*. 6. illo *ab*. 10. lecthe *ab*. 11. Moen] nicen *ab*. assumpturus *a*. 13. ponderibus *u. s. w.*] *Hor. serm.* 1, 3, 78. ratione *b*. 18. ille etenim *ab*. 25. poeticum: *Ovid. her.* 17, 166. 28. deservire *ab*. 29. obitum *ab*. 33. accepta *ab*.

petuoso alveo fluvii nando resistere, sed tandem velit nolit oportet quo impetuosus alveus fluminis propellit absistere, ita necesse est me regni viribus quamvis in me desipientibus ad tempus a proposito bello cedere: tertium et ultimum sed maxime necessarium est ut summum imperatorem, videlicet creatorem, cuius dignissimam creaturam mortificavi, placare satagam. nescio enim diem neque horam qua districtissimus iudex pulsans ianuam meam veniat et forte in delicto homicidii dormientem me inveniat et a coena sui, summi patris familias, excludat. hanc huius iudicis districtissimam sententiam pertimescens deliberavi ad exhibitionem satisfactionis visitare et visitata adorare secundum duliam loca nostrae salvationis, scilicet passionis et humationis Christi et resurrectionis et in caelos ascensionis. iam animadvertite quid petam, quid suggeram. o fidelissimi, quia ad offendendum terrenum imperatorem sine causa primitus iratum mihi auxilio et consilio socii laboris et gaudii a dextris et sinistris affuistis, ideo nunc multo magis ad placandum caelestem imperatorem cum permaxima causa iratum, quia mutilatum membris suis, qui est caput, cecidi, pro amore ipsius et mei, aliquando domini vestri, nunc socii, me ad praedicta loca comitari curetis et ad iter in brevi maturandum festinetis.'

15. Assensere omnes et intenta mente primo dux, deinde comes Wezelo, post omnis illorum quinquaginta multitudo crucem materialem extrinsecus baiulandam assumpsere et ut crucifixus eis gratiae suae participio aspiraret per omnia oravere. ne igitur a quoquam, ut in tali rei fieri solet, exulare potius ex sordidae necessitate paupertatis quam intuitu divinae caritatis astruantur, omnia usui bellico necessaria de novo apparantur, novae mucrones fabricationis dolonibus, i. e. ligneis vaginis, assutis novis fagidulis, invaginantur, novae lanceae et novae trudes, i. e. hastae

3. desaevientibus? 7. *wie das deutsche* ich enweiz tac noch stunde. 20. membri sui *ab*. 21. occidi *a*. 23. destinetis *b*. 27. ei *ab*. 28. a quoque *ab*. 29. quamque *ab*. 30. raritatis *ab*. 31. novi m. *ab*. 32. vaginis i. sludin (*lies* sceidin) *ab*. *vergl. Isid. orig.* 18, 9, 3. assutis *a*: quassatis *b*. fagidulis: *vergl. Du Cange und Graff sprachsch.* 3, 736 *f. unter* fezil, swertvezzel.

cum lunato ferro, cuspides, conti, excipia, venabula, falaricae, arcus, coryti, pharetrae, sagittae, scorpiones, pili sive pila, pultiones, amenta, casses de ferro, galeae de corio, galeri, buccinae, tubae fabricantur: super hac in tam bellicosissimo duce mutatione dexterae excelsi rumor multorum resperserat aures ipsum velle pro deo exulare et loca salvationis fidelium transmarina gratia orationis visitare. is rumor amicis tristitiam, inimicis peperit laetitiam. mater vero ducis quingentas marcas et perplurima pellicea grisea et varia purpuris pretiosissimis operta et alias infinitas sericeas vestes auro consutas transmisit, quae suscepta ille continuo post renuntiatam matri gratiarum actionem suis sociis hilarissime dimisit. emenso tempore venit dies propositae exulationis. ingens multitudo circiter quingentorum optimorum militum ad ducem confluxit, summo opere deprecantes ut eos sui itineris Ierosolymitani comites imo ministros assumere dignaretur. ille deo et eis gratias super hoc societatis proposito referebat et benignissime in suam societatem suscipiebat.

16. Tandem non sine lacrimarum profusione de dulcis patriae limitibus discessum est et in Ungariam ventum. hunc honorificissime suscepit cum suis et in omni humanitate fotos rex Ungariae donis ingentibus tantum regem decentibus donabat et donatos a se dimittens per silvam Bulgariorum duci per nuntios sciolos stratarum in partes Graeciae mandabat. post in Constantinopolim pervenientibus imperator Graeciae digne susceptis omnia necessaria sufficientissime

1. lunato *Isidorus* 18, 7, 3: limato *ab.* cuspides spiezstange *ab.* conti exscipia i. ebirspieze *ab.* excipia *hat der vor Arevalo gewöhnliche text des Isidorus* 18, 7, 4. *vergl. gloss. Trev. s.* 16, 24 *Hoffm.* venabula i. weitespeize (*lies* weidespieze) *ab.* falaricae i. geren (gerein *b*) *ab.* 2. corici i. bogefuetir *ab.* scorpiones i. gollupiteschor (*lies* galuppitiu scôz) *ab. vergl. Isid.* 18, 8, 3. pili i. phile sine pila *ab.* 3. pultiones i. boelcze *ab.* amenta i. phideringe *ab. vergl. gloss. Trev. s.* 16, 26. casses — corio: *vergl. Isid.* 18, 14, 1. 4. galeri i. cysterel *ab. vergl. gloss. Trev. s.* 16, 29. buccinae i. here vel lutui (*lies* litui) vel classica i. horn (*lies* hereborn) *ab.* tubae i. blasborn *ab.* fabricabantur *b.* 5. imitatione *b: vergl. ps.* 76, 11. 12. convivio *a.* 13. emerso *b.* 23. fatos *ab.*

per camerarios eis praefectos ministravit, quia ducem eo quod adeo magnanimiter imperatori Romano sine causa primitus offenso obstiterit, admodum carum habuit et adprime ob hoc ipsum honoravit sic per trium hebdomadarum revolutionem in Constantinopoli demorati sunt eo quod trieres tantae iuventuti et armis aliisque ipsorum utensilibus deferendis aptae et sufficientes difficillime reperirentur. repertae tandem immensae trieres armis et utensilibus et cibariis ad longum tempus sufficientibus ab imperatore ministratis onerantur, prorae et puppes sciolis epibatis, i. e. magistris nautarum, committuntur, fori sive latera navis, tabulata concava, ex parte navis utraque disponuntur, praetoriolae, i. e. domunculae in quibus merces reponuntur, exstruuntur, remi, qui habent palmulas, per columbaria, i. e. foramina per quae eminent remi, exponuntur, transtra, i. e. tabulae in quibus sedent remiges, sternuntur, malus ad sustinendum velum erigitur et modio, cui arbor solet insistere, infigitur, cerucha in summitate mali ponitur, trochlea quoque cum funibus necessariis qui solent trahi per eam per duplicem concavitatem in cacumine arboris adaptatur, parastatae etiam, i. e. bini stipites quibus arbor sustinetur, praeparantur. praeterea adaptatur guber-

10. expibatis *a. woher diese falsche deutung rührt weifs ich nicht: bei Isidorus steht* 19, 1, 7 *nichts ähnliches.* 12. concava *Isidorus* 19, 2, 2: cum cava hutenaz (hutenar *b*) *ab.* 13. praetoriala *a,* storiola *b.* praetoriola, domuncula in navi *gloss. Isid. bd* 7 *s.* 482 *Arev.* 14. palmulas i. lappen *ab. vergl. gloss. Trev. s.* 17, 14. columbaria *Isid.* 19, 2, 3: columbria riemlöchir *ab. vergl. gloss. Trev. s.* 17, 12. 17. malus i. mastboem *ab.* medio masthalda i. arbori cui solent insistere *ab. vergl. Isid.* 19, 2, 9. *gloss. Trev. s.* 17, 15. 18. ceruta i. wetirbana *ab.* weterhano cheruca *gloss. Trev. s.* 17, 15. *bei Isid.* 19, 2, 9 *steht* carchesia sunt in cacumine arboris, *ohne erwähnung des κεροῦχος. doch scheint dort nicht alles in sicherer ordnung: denn Cinnas vers von den* carchesiis *steht in manchen texten in der beschreibung der* trochleae. 19. trochlea i. winda *ab.* qui] quae *ab.* 20. per eam] per ca *mit leer gelafsenem raume a,* per cairenam *b. aber die* carina *ist hier ungehörig, und Isidorus sagt* trochleae, quasi φ littera, per quas funes trahuntur. arboris trocleae adaptatur (adaptavit *a*) *ab.* 22. arbor trocleae *ab.* gubernaculum i. stürruoder (stirrueder *a*) *ab.*

naculum, clavus, porticulus, i. e. malleus, tonsilla, id est uncinus ad quem in litore defixum funes navium alligantur, anchora quoque et pulvini, id est machinae quibus naves ducuntur et subducuntur ad portum. vela etiam, quorum unum maximum vocatur acation in medio navis in antempna statuendum, alterum, scilicet epidromum, velum ad puppim, tertium quoque velum minimum nuncupatum dalum, ad proram defigendum, supparum quoque, genus veli quo iuvari navigia solent quotiens vis venti languescit, praeparantur. rudentes etiam et spirae vel cucurbae, i. e. funes quibus utuntur nautae in tempestatibus, nec non tormentum, i. e. funis quo prora ad puppim extenditur, mitra nihilominus, funis quo navis media vincitur, propes etiam, quo pes veli alligatur, item saphon, funis in prora positus, anquina quoque, funis quo ad malum antempna constringitur, oppifera, funis quo cornua antempnae dextra sinistraque retroverse tenduntur, promensium, funis quo navis in litore ad palum religatur, remulcum, funis quo deligata navis trahitur, struppi, funes quibus remi ad scalmos ligantur, catoforates, funis lineus cum massa plumbea quo maris altitudo probatur, haec omnia in trierim ducis Hernesti et suorum comportantur, Graeci etiam plurimi in suis trieribus eis associantur. quid plura? artemone tan-

1. clavus i. sturingal *ab.* stiernagel *gloss. Trev. s.* 17, 16. porticulus i. bamir nailis *a,* porticus i. *mit leer gelaſsenem raume b.* mailis *muſs* malleus *heiſsen, s. Isid.* 19, 2, 12. tonsilla i. crapho *ab.* 2. alligantur *ist richtiger als, was jetzt bei Isidorus* 19, 2, 14 *steht,* illigantur. 3 anchora i. einchir *ab.* pulvini *Isid.* 19, 2, 16: pluzimi *a,* pl'mi *b.* 5. acation *Isid.* 19, 3, 2: achateon *a,* achiteon *b.* 8. dalum *statt* dalon *die hss. bei Isidorus* 19, 3, 3. sypharum *ab.* 9. navigia *Isidorus:* navigio *ab.* 10. rudens *ab.* ut curcube *ab. vergl. Isid.* 19, 4, 2. 14. saphon: *Isid.* 19, 4, 5. 16. *bei Isid.* 19, 4, 6 *die bücher* opifera opifora opisfera, *Arevalus* opisphora: *das wahre ist wohl* opisthophorus. 17. promensium *a,* promessium *b. der mönch mochte sich bei dem was eine fehlerhafte handschrift des Isidorus ihm darbot begnügen, hier und bald nachher wo er* catoforates *setzt: aber schlimmer ist es daſs in der neuesten ausgabe des Isidorus* 19, 4, 6 prosnesium *nicht mit Arevalo in* prymnesium *geändert und darauf* cataprorates *geschrieben ist, wofür* catapirates *längst gefunden war.* 19. stuppi (*so ab*) — ligantur *nach* probatur *b.* 23. archemo tandem alligata *ab.*

dem alligato dux et sui post gratiarum actionem imperatori pro multimoda sua circa illos beneficia post licentiae et benedictionis et ingentissimorum donorum acceptionem se et sua deo dederunt, fune de litore soluto et velo in altum panso et extenso terga maris sulcant, celeuma laetum, sed non diu, celebrant.

17. Emenso namque dierum quinque tempore tempestas maris permaxima oriebatur, ex qua tota illa classis detrahebatur et duodecim navibus submersis Graecorum sibi ob probitatem [suam] ducis associatorum iuventus in mare praecipitata diem extremum sortiebatur. trieris vero ducis et Teutonicae in Teutonia associatae duci iuventutis super impetuosissima maris terga iactabatur, ubi et ipse cum suis tam inenarrabilia mala quam intolerabilia propter vim tempestatis iugiter multis diebus et noctibus ante ipsorum oculos naufragium minitantis perpetiebatur. insuper malum vehementissime excoquens eos accumulabatur, tum propter sociorum Graecorum in mare praecipitatorum amissionem, tum propter cibariorum iam incipientium deficere defectionem. ut ergo fieri solet, deum in tam multifariae necessitatis articulo attentissime implorant. unde implorantibus ex alto prospiciens misit auxilium eis in tempore opportuno. in diei enim cuiusdam diluculo aura datur grata et tempestas fit sedata: quieverunt maria. de longinquo itaque terram Agrippam, vocatam forte a principe aliquo illius terrae nominato Agrippa, aspiciunt. unde valde exhilarati remis attentius solito incumbunt, caerula maris terga spe subeundi portus concitati sciderunt, et tandem optatum portum subierunt. ibi civitas egregia reperiebatur muro firmissimo et per marmor Parium et porphyreticum artificiali colore partim viridatum partim rubricatum partim deglaucatum partim dealbatum ornatissimo circumsepta, etiam per vallem profundissimam et latitudine spatiosissimam, repletam aqua amoenissima, munita. in murorum vero summitatibus, quas pinnas vocant, ducentarum turrium propugnacula exstructa fuerunt quaqua versum

2. circa *a*: ducenta *b*. 3. acceptorum *ab*. 4. deduot?
13. ubi *a*: ut *b*. 31. viridatum *ab*. 32. deglucatum *ab*.
35. pinnas cinin *a*, pinnas cinun *b*. *gemeint ist* zinnun.

decentissime deaurata. sed hoc tempore civitas a civibus suis biformibus, pro dei voluntate in bina forma, ut docebitur, creatis, desolata erat. dux ergo velis demissis et barcis emissis, anchoris etiam mari immissis, sociis et contironibus ait 'o tribulationum iam praeteritarum et consolationum utinam futurarum conparticipes, placet mihi, si et vestrae placitum est dilectioni, ut, ex quo in terram hanc satis optimam de fluctibus maris ereptos divina misit clementia, in urbe praesenti victualia aliquanta conquiramus. sine mora armis induti et gladiis super femora vestra potentissime accincti maturate perquirere utrum huius civitatis concives sint Christianae religionis an paganici erroris cultores. si enim fidei nostrae amicos esse rescierimus, prece et pretio victualia benigne et condigne coëmamus: si vero Christi et ecclesiae hostes esse probaverimus, vi bellorum necessaria ab eis velint nolint extorqueamus. quandoquidem enim nos nostraque relinquentes intuitu patriae aeternae exulavimus, pro deo moriamur et in media arma ruamus. hoc enim aequivalere sentio quam si victualium penuria deficientes in trieri pereamus.'

18. Assensere omnes et armis subito induti et in barcis terrae expositi, Wezelone iussu ducis Hernesti praeferente vexillum rubei coloris ad significationem dominicae passionis, campum interiacentem litori et civitati magnanimi illi iuvenes cum duce suo gressu pedum transvolabant et tandem portis urbis appropiabant, ad quas cum ventum esset, ipsas utraque parte apertas repererunt. unde non satis admirando stupentes parumper, quamvis neminem rebellantem viderint, consilio et iussu ducis imperatoris constiterunt. quibus dux 'o commilitones, ut suspicor, portarum reseratio non sine dolo concivium civitatis huius facta est. putantes enim nos ex improviso urbi irruituros esse omnes comprehendere decreverunt et comprehensos perditum ire. vos itaque innatae nobilitatis et avitae magnanimitatis et ingruentis permaximae necessitatis memores cum summo

2. dei *fehlt ab*. 3. dux igitur *b*. dimissis *ab*. 4. barris *ab*. 10. ut sine mora *ab*. 13. nostrae] necesse *ab*. 20. penuriam *ab*. 22. exposito *ab*. 24. magnanimis illa iuventus *ab*. 28. neminemque *ab*. 32. intraturos *a*.

mentis et corporis nisu conferti signo militiae meae praeeunte portas adite, et si qui debellatores ante portas proruant, regredi compellite et vos cum regredientibus urbem irruite et sine misericordia, ne si quam habeatis illa vertatur nobis in miseriam, omnes iam aetatis et sexus homines occidite. quid plura? non verborum eloquentia, sed factorum virilium violentia in summae necessitatis articulo utendum est.' at illi citius dicto [portas] praevio duce et signifero Wezelone pontem ultra vallem urbis porrectum transierunt, portas irruperunt et neminem in ipso impetu ipsis obstantem aut ulterioribus urbis partibus conversantem repererunt. Gallicam itaque melodiam usque ad sidera tollentibus in mediam urbem proceditur. ibi permaxima domus ad convescendum praeparata, coenaculum cum mensis omnium generum cibariis solempnissime onustis et refertis cumque tricliniis per purpuras pretiosissimas opertis reperitur; scutellae vero quae dapes continebant ex argento purissimo, et item paterae quae vinum seu medonem seu siceram seu omne genus poculi capiebant ex auro erant obryzo et mundissimo. ad quos iterum dux sub apostropha ait 'deo creatori et omnium bonorum largitori ingentes gratiarum actiones, o socii, una mecum agite, qui potens est parare mensas has servis suis nobis in deserto huius. attamen consiliis meis, sicut hactenus obtemperastis, obsecundate et victualia tantum ad humanae fragilitatis subsidium necessaria sufficientissime vobis usurpate, aurum vero et argentum et purpuras et cetera huius modi floccipendentes suis possessoribus relinquite. temptat enim vos dominus, si avaritiae, quae est radix omnium malorum, morbo aestuetis. unde memores sitis quomodo pro avaritia solius Achan, surripientis auream regulam in Iericho, populus aliquantus in oppugnatione urbis Hai interfectus occubuerit et ipse avaritiae inhiator Achan post excommunicatae praedae inventionem circa se sententia lapida-

4. ne *fehlt ab*. 5. iam] enim *ab*. 6. cecidite *b*. 9. vallum *ab*: *s. s.* 213, 33. 16. per purpuras pretiosissime mensarum opertis *ab*. 18. idem *ab*. 20. ad quae? 27. modi *fehlt ab*. 30. sitis *fehlt ab*. 31. 33. Achan *Iosue cap.* 7: achor *ab*. suscipientis *ab*. 33. inhiator *a*: in Hay *b*.

tionis perierit.' recognoscat etiam discretio vestra huius urbis incolas non longa temporis distantia hinc abscessisse, sed in brevi remeaturos fore. indulgete ergo corporum defatigatorum necessitatibus et post cum summa festinantia victualia necessaria in futuros usus collecta navibus inferte.' huius huic-hi consilio parentes corporibus abunde indulsere.

19. Et postquam est exempta fames epulis mensaeque remotae, gratia videndi varia urbis loca lustravere et in diversis decentissime auro et argento perornatis immensis aedium et domorum structuris diversissima ex auro et argento et gemmis diversi generis ornamenta, quorum materiam superabat opus, reperere. in quarum aedium qualibet tanta fuit conferta cibariorum omnium generum copia quanta ad praepotentis imperatoris et infiniti sui exercitus solemnissimam sufficeret refectionem. hospites igitur pro ducis sui consilio victualibus ad dimidii anni spatium sufficientibus trierim suam et barcas suas onerabant et laeti intra trierim suam pausabant. dux vero parvo intervallo pausato comitem Wezelonem ut se comitaretur rursus in urbem ad explorandum subtilius statum illius efflagitavit, sociis vero ut si forte bellicos tumultus animadverterent, citius in auxilium armati arrepto vexillo succurrerent mandavit. ingressi itaque magnanimi principes urbem iam memoratam post multo diligentiorem quam prius perlustrationem situum et ornamentorum diversissimorum miraculosissimorumque, quae causa vitandae prolixitatis, ne fastidium exinde generaretur, stilo exarare supersedi, venerunt in aulam marmoream immensissimam et decentissimam, tum omni suppellectili refertissimam. huic admota stabat egregia camera auro obryzo et gemmis omnigenis ineffabiliter ad unguem decorata, et in hac duo thalami excellentissimi, cum sua inaestimabiliter pretiosissima varia suppellectili ornatissimi. qua camera transita atrium subeunt

2. urbis *fehlt ab.* tempore *ab.* 8. *vergl. Virg. Aen.* 1, 216. 11. et diversi *ab.* 12. mat. s. opus *Ov. met.* 2, 5. 16. refectionem *fehlt b.* 19. infra *ab.* 20. pausavit comite Wezelone *ab.* 27. que *fehlt ab.* 29. cum omni *a,* in omni *b.* 32. hac] hanc *ab.*

cedris viridantibus et omnigenis arboribus consitum, ubi fluvium ebullientem lenissimo murmure et liquoris claritate spectatores ad aspiciendum allicientem aspiciunt. iste fluvius per fistulas amoenas deductas in duo dolia aurea fundebatur quodam artificio, ut si quis balneis delectaretur, pro velle suo sive gelidum lavacrum sive calidum inibi consequeretur. hac per hunc fluvium ministrandorum lavacrorum delectatione in aureis doliis dux attractus attraxit ad idem desiderium comitem Wezilonem. nec mora, voti sui uterque per balneorum delectabilissimorum lavacra deterso sudore et pulvere compos in caminatae penetralia repedat, in thalamos excellentissimos unus in unum alter in alterum se collocat. postquam pro loco et tempore satis pausatum est, de thalamis se proripiunt, vestibus induunt, armis se muniunt et subito per fenestram cancellatam ingentem exercitum de maritimis partibus adventare in equis prospiciunt.

20. Rex enimvero ipsius terrae, videlicet Agrippae, biformis, eo quod binas habuit formas, unam a planta pedis usque ad humeros hominis, alteram ab humeris usque ad verticem gruis, cum concivibus item biformibus filiam regis Indiae transmissam filio alterius regis in coniugium vi bellica abstulerat his qui domicellam adducturi in exteras sponsi terras erant. unde ille, scilicet rex Agrippae, compos victoriae cum convictoribus suis urbem suam laetabundus cum laetabundis, prius desolatam eo quod sub edicto ad rapiendum domicellam exierint, ingreditur. huius induti cyclade auro texta latera biformes duo duces duos arcus mirificae fabricaturae et fortitudinis ferentes, cycladibus auro textis amicti, cum suis infinitis vasallis stipant. nihilominus domicellam teneram et apprime bellam duo non infimi primates oppanso contra solem super ipsam tecto pretiosissimo bis tincto regi cum summa reverentia, tertio nobilissimo principe auream virgam praeferente, adducunt. tandem in coenaculo antedicto omnibus ad convivium solempnissimum necessariis abundantissime paratis ad epulandum tricliniis et mensis, quibus dux Hernestus et sui

1. ubi *a*, ut *b*. 4. deductus? 10. lavacra *a*, lavantur *b*.
16. de maximis *ab*. 19. habuerit *ab*. 23. abducturi *ab*.

prius discubuerant, discumbunt. aliquantisper tamen cibaria tantae multitudine praeparata esse minora plus solito sentiunt. ibi ambubaiarum collegia, pharmacopolae, mendici, mimae, balatrones et hoc genus omne omnigenum ludicri cantus genus ore gruino grocitat. at bella nil flectitur his domicella, imo querelabunda et tremebunda praedonem suum regem sibi basia rostro longo et acuto infigentem torvo visu indignissime stupida inspicit. et infelicissimam se proclamans ait 'infelix ego homo, quis me liberabit de corpore monstri huius gratia domini nostri per Iesum Christum dominum?' haec et similia verba eiulatoria fundentem domicellam audiens dux Hernestus, qui deintus et deprope latuit, ad comitem Wezelonem ait 'eia age, rumpamus moram et istam in summo discrimine positam virginem ab ista biformium monstrorum captivitate exolvamus.' ad haec comes Wezilo 'longe mihi, mi domine, alia mens, si vestrae placet almitati. multitudini tantae resistere vix vel nunquam sine vitae nostrae dispendio quibimus. inde est quod bona fide et mente vestrae et meae incolumitati consulo ut de eripienda domicella differamus quamdiu convivii finem et tantorum convivantium dissolutionem quolibet ad sua remeaturo prospiciamus.'

21. Hoc consilium sanum adprime visum est in oculis ducis. expletoque convivio tota turba in brevi dilabitur, quia quisque ad sua regreditur. ipse etiam rex in suae caminatae regia ambitione mirificentissime perornatae penetralia, parva videlicet camerariorum consecretalium comitante caterva, ingreditur. ad quem cum aliis camerariis domicella deducenda progreditur. horum unus camerariorum, dominae vestes praeter camisile sericum exuens et quasi adventum sponsae domino imperatori grato rumore intimaturus rite alios camerarios praecurrens, ex improviso vidit hospites de coenaculi latibulo iam proruentes. unde stupore et ecstasi diriguit steteruntque comae et vox faucibus haesit. animatus tamen parumper recepto spiritu ad

2. minorata *ab*. 3. ambubaiarum: *Hor. serm.* 1, 2, 1 *f*. 5. ludi *ab*. ad bella *ab*. 6. querulabanda *b*. 10. monstri] mortis *ab*. 21. conventium *ab*. 30. camisille *a*. 34. diriguit *Virg. Aen.* 3, 260. steteruntque — haesit 2, 774. 3, 48. steterantque *ab*.

dominum, ad quem currere coeperat, cucurrit, arma amens nunciat clamans 'omnis Indiae miles armatus ad subripiendam nobis dominam quam rapuimus astat. sed tamen adventus eorum ego iam frustrabor et dominae subreptionem per eius ipsius interemptionem praeveniam.' haec ait et regem quo se verteret nescientem, grocitantem tamen altisone, relinquens, ad dominam summo impetu currens rostro acuto latera tenella et admodum bella domicellae transfixit. huius ob acceptum vulnus exclamatorios gemitus hospites audientes summo impetu camerae in quam deducta fuerat domina irruunt et tam regem quam omnes suos ibi astantes enecant et seminecem dominam supra brachia sua utroque ex latere profundentem cruorem collocant et fovent frustra. quibus illa 'heu me miseram quod adventu vestro mortem meam non praevenistis si enim praevenissetis et patri meo vivam filiam reduxissetis, alteri vestro nuberem et amplius opibus et honoribus paternae hereditatis in ditissimum regem eum, scilicet unumlibet vestrum, proveherem. sed quamvis instet mors, ultima linea rerum, gaudeo tamen quia est mihi mortis solamen vos homines Christianos ante mortem aspexisse.' haec ait et ultimum flatum protrahens expiravit. illi vero humanae conditionis memores, quamvis omni ex parte imperatoriam familiam, imo totius urbis et adiacentis viciniae populositatem nimiam accursantem se circumvallare prospicerent, purpura tamen corpus domicellae inhumatae tegebant et pro salvificatione animae eius domino, in quo spiritus electorum vivunt, preces fundebant et stratam ensibus sibi versus portas urbis quam plurimis qui occurrebant occisis faciebant. hostes vero tela saxa arborum ingentissima rudera et cetera huiusmodi, quaecumque manus eorum invenire poterat, maximo impetu et gruinae vocis strepitu super hostes immittebant. ubi tandem ventum fuit ad portas urbis iam obseratas, magnanimi hospites, in quibus verae magnanimitatis quantitate magnanimum Aeacidem et virtuosissimum Priamidem cernere posses, muratis murorum

1. arma amens capio *Aen.* 2, 314. 6. tamen] cum *ab.* 16. vestro *ab.* nubentem *a.* 17. indissimum *ab.* 19. mors — rerum *Hor. ep.* 1. 16, 79.

se applicant et in clipeorum concavitatem mediam se furantes omnia interta super se clipeis protensis excipiunt et supra exceptum ingentem telorum et saxorum et ponderum ingestum scandentes tamquam leones circumdati canibus supersistunt et multos quos ensis utriusque attigit ad inferos Plutoni transmittere satagunt.

22. Ingenti tandem belligerantium tumultuatione socii navales exciti armata manu et arrepto vexillo accurrunt, portas obseratas inveniunt et tandem securibus excisas aperiunt, dominis non sine magna strage suorum subveniunt et multis occisis de manu grocitantium hostium ipsos subripiunt et extra portas cum summo labore educunt. exhilarati ergo classem conscendere gestiunt, sed ecce a maritimis Agrippae partibus infinitos equitum armatorum cuneos adventare et ad se iter directum inevitabiliter intentare conspiciunt. dux igitur Hernestus suos confortans ait 'o egregii milites, en de vita temporali res agitur, quae felicissime amittitur quando pro fide Christi more martyrii mors destinatur, quia de ista ad aeternam vitam optimo concambio transitur. hac ergo spe nos qui in Christi obsequio cottidie occupamur animati nunc viriliter contra hostes Christi proeliemur, et si nutu dei mors temporalis de tanta multitudine biformium immineat, saltem multa horum monstrorum strage vitam aeternam morte transitoria in via dei perpessa mercemur.' haec ait et invocato Christi auxilio arreptoque vexillo socia comitante caterva gradatim hostibus obviat. hoc viso Agrippi se per camporum spatia passim diffundunt et ex improviso hospites quaquaversum circumfundunt, nec tamen stabili sed instabili gressu modo huc modo illuc cedentes maiorem cladem hospitibus per tela toxicata eminus missa quam per enses cominus pugnantes ingerebant. hospites vero vi maxima resistebant et tandem innumeris hostibus enecatis, quingentis etiam hostibus prostratis, usi sunt brevi sed sano consilio, ut, quia biformes copiam pugnandi cominus non dabant, ipsi in naves paulatim se reciperent. et recipie-

2. protensi *ab*. 3. exceptam *ab*. 4. ingestam *ab*. 11. grotantium *b*. 18. mire martyrii morte destinatur (desinatur *b*) *ab*. 20. qui *fehlt b*. 27. camporis *ab*.

bant se. dux enim et Wezilo comes in sabulo stantes hostibus obstaculum, suis vero defensaculum machinantur quousque tam vulnerati et semineces quam et incolumes per barcas ad sabulum emissas in trierim transportabantur. ipse etiam dux et indefessus comes Wezilo post omnium sociorum transportationem transportati litora linqui et mare sulcari remis mandant. quod et factum est. Agrippi ubi terrestrem pugnam iam subtrahi sensere, navali proelio eos aggredi maturavere, sed frustra, quia venti flamine velum rapiente hospites etiam navali proelio biformibus obstare volentes in medium maris alveum etsi inviti prosiliere.

23. Sic cum magna aliorum navigantium, aliorum per vulnerum laesuras laborantium defatigatione duodecim diebus navigabatur, nec usquam portus aut etiam terrae quippiam prospiciebatur. unde post diversorum diversas ad deum, laborantium fortitudinem, preces gemebundas directas unus epibatarum satis circa status et loca maris sciolus mali summitatem scandebat et prospiciens a longe quasi ingentissimam molem montis prospiciebat in quo quasi silva pinuum densissima malorum multitudo se in altum porrigebat. hanc ipsam quasi montis magnitudinem alii quoque socii contuebantur et iterum aliquos adesse piratas ob hoc intrepidi opinabantur. epibata vero illius rei sciolus totis infrigidatus medullis prae angustia mortis cito futurae ait 'o sanctae peregrinationis et iam instantis mortis consortes, en mors, ultima linea rerum, instat. unde manus et mentes ad coelum levate et reatuum vestrorum absolutionem ab angelico agno tam vitii quam mali actus et reatus omnis immuni impetrate, haec omni devotione poscentes ut, quandoquidem corpora nostra iam danda sunt in interitum, saltem spiritus nostri salvi fiant. ecce in illo monte omnes moriemur, quia syrtico iam mari velimus nolimus illabimur: istud nempe mare mortem omnibus in se appulsis intentare frequenter relatis seniorum audivi. arbores quas porrectas in altum conspicitis sunt mali navium,

1. se *fehlt ab*. 7. sulcare *a*. 9. eos aggredi — navali proelio *fehlt b*. 11. in mediam maris alvum *ab*. etsi *a*: et *b*. 18. loca *a*: leta *b*. 20. pinnium *ab*. 23. obhuc *a*. 31. vestra *ab*.

sed moles visae sunt naves vi tempestatum adpulsae, quarum homines omnes mortis amarae poculum gustaverunt: quod et nos in ipso loco gustaturos esse procul dubio animadvertite.' postquam dicendi epibata flebilem finem fecit, dux illustrissimus sermonem ad eos consolatorium fecit [dicens] 'o nos' inquiens 'deo referamus gratiarum immensam actionem ob omnium tribulationum a deo inmissarum inquietationem ad nostrorum reatuum in hac vita purgationem. si divina mortem temporalem hoc in loco praedestinavit nobis providentia, patiamur illam cum summa patientia, ut in districtissimo ultimae diei iudiciali examine vicem tribulationum passarum in via dei recompenset eius crucifixi cuius mysteria adoraturi iter Ierosolymam deliberavimus clementia. o Ierusalem, civitas summi regis, decus et gloria utriusque legis, ut quid in te flos non veniet huius gregis? o quam inscrutabilia sunt iudicia tua, Christe, qui sinis ut iam pereat coetus fortiûm iste. o quam investigabiles viae tuae, pastor clemens et rex pie. o iuventus plangenda et omni luctu lugenda, ferens stigmata pacis, aestu peribis aequoris tenacis. fide Christi plebs fundata, spe in Christo sis plantata. caritate iam fuisti semper radicata cunctarumque virtutum gemmis perornata, simplicitate Christi tui inundans et omni genere sapientiae abundans, deo dilecta sisque praeelecta. en vi maris devoraris et in caelis ornata coronaris. Syon filiae, flete sortem iuventutis quondam laetae. vos novi athletae, cum Christo in aethere gaudete. Christe sacer, verbum summi patris, solve cunctos nos a barathro fonte tuae pietatis; solve reos, salva gratis, et nos tuae claritatis, rex pie, configura gloriae in superna Ierusalem. fiat fiat.' haec eiulans eiulantibus ait et tam ipse quam comes Wezilo, quin et omnis exercitus participati sunt vivificum corpus et sanguinem Christi per mysteria sacerdotum, quos etiam in societate illa interfuisse dubium non est.

8. inquietationum ad nostrarum *ab*. 21. paribis *b*, paribus *a*. 25. praelecta *b*. 27. filii *b*. 30. ab aratro *ab*. 31. configatur *a*. 32. hoc *a*. 33. comes] omnes *ab*. quin] quam *ab*.

24. Interea loci trieris ipsorum magis et magis prolapsa et magneti lapidi, qui per naturam ferrum sibi attrahit, applicata capitur, tenetur. ibi eiusdem lapidis fulgor ad modum ignis de fluctibus coruscabat; quo fulgore multa vetusta navis, quae in binas partes in medio dirupta est, summitati arenae, quae est multo periculosior quam maris unda, supernatabat. malorum etiam multorum ab illo fulgore confractorum moles ingentissima cadens deorsum in trierim novorum advenarum mortificabat multos, et, ut compendio utar, illa nobilissima iuventus praeter paucos inibi miserae mortis diversis modis pocula gustabat. unde dux Hernestus vehementissime totis viscerum medullis perturbatus, plangens iugiter et flens, quia aliud facere non poterat, ait 'Christe deus, dei patris fili, quale erit mihi miserrimo et uti mortuo remedium, cum videam ante oculos mortem subire optimatum et vasallorum meorum semper fidissimorum collegium?' sic omni die, imo horarum singulo momento, flebat et planctibus se afficiebat, et cum mittenda essent corpora defunctorum in mare, ipse tali praecipitationi compassus in summitate trieris se locari iubebat, ut saltem quoad posset eorum quamvis mortuorum visu solatium aliquod perciperet. gryphes vero prope in desertis et inaccessis rupium arboribus nidificantes odore corporum allecti advolant et corpora multa pullis suis pro cibariis in nidos cursu perpeti transportant. de tanto tamen numero tantum septem supervixere, qui omnes nullum vitae sustentamentum praeter dimidium panem in sarcinis habuere. comes vero Wezilo ait 'ex quo exercitui sociorum tanto commortuo lacrimas persolvimus, quod solum praestare licuit, mi domine, si discretioni vestrae placet, imo quia placet, aliam saltem quam tam inertem mortem eligamus, ut scilicet nos ipsos pellibus mortuorum animalium insutos gryphibus praedas consuetas in summitate trieris proponi iubeamus, ut ab illis trans mare portati in nidos pullorum pro escis consuetis aut cibi eorum fiamus aut, si deus annuerit, aliqua ratione vivi evada-

1. interim loci *ab*. *vergl. s.* 224, 28. 3. aplicita *b*. 5. direpta *a*. 20. trierum locari *ab*. 23. in acersis *b*. in odore *ab*. 30. praestare] prāže *a*, prāre *b*. 31. *vor* imo *ist* mi domine *wiederholt in ab*.

mus.' hoc consilium, quod puto non ab homine Wezeloni datum, sed a deo miraculose inspiratum, duci admodum placuit. nec mora, in alias naves dux et sui subeunt, in quibus naviter defunctos homines cum auri et argenti et pretiosissimarum gemmarum et omnium generum supellectilium copia reperiunt, sorti quorum et durae conditioni, quae et ab eis expectabatur, condescendunt. sed pelles maximorum boum ibi fore conspiciunt, quas secum in suam navim repedantes deferri praecipiunt. mirantibus ergo aliis dux et comes Wezilo aliquas illarum pellium consui et consutis se ipsos cum omnibus armis suis et cum quibusdam aliis instrumentis necessariis insui, sociis prius tamen valedicentes, mandant. quorum mandatis socii quam moestissimi obsecundant, et in summitate trieris locatos gryphes quasi solitam praedam, videntibus et plangentibus eisdem exulibus, trans mare nutu dei misericordiosi et vere miraculosi in suis ducem et comitem in nidum pullis pro esca deportant. pulli vero super illos huc et illuc saliunt, excoriare iugiter temptabant, sed squamae loricarum insutos ab omni laesura incolumes conservabant. sentiunt tandem se extra mare in terrestrem quempiam locum firmiter locatos esse, et paulatim resumptis viribus pelles scindunt, et quia gryphes ambo pro cadaveribus apportandis super mare avolaverant, isti duo exules nacti fugam extra nidum se proripiunt et pedetentim de rupium asperarum multarum praecipitiis cum summo labore in silvarum vicinarum vastitatem prosiliunt.

25. Interea loci alii duo socii priore modo in pellibus assuti ab iam dictis gryphibus in nidum praedictum deponuntur; qui etiam pellibus discissis simili modo et labore quo dux et comes Wezilo in easdem silvas progrediuntur. adhuc in trieri tres superant, quorum duo a tertio pellibus insuti in nidum praetaxatum, ministerio praetaxatarum gyphium causa adminiculante, sed deo causa efficiente id operante, transferuntur, et tandem illi praedicto modo etiam quo priores vix elapsi in silvam progrediuntur. tertius de numero trium ultimorum, quia neminem sui in pelles con-

11. consutos *ab*. 12. insui] usui *ab*. 14. molestissimi *ab*.

sutorem habuit, in navi remansit, et nullum vitae sustentamentum habens nisi dimidium panem quem prius septem habuerant, obiit [et] ultimae diei tubam in generali resurrectione inibi expectaturus. illi vero quattuor, qui in nidum gryphium a gryphibus transportati et de rupibus elapsi fuerant, in silvarum inviis ex improviso, providente tamen dei clementia, in simul convenerunt. unde admodum exhilarati dominum suum ducem et comitem Wezilonem in ulterioribus silvarum anfractibus quaerere disposuerunt. super hoc implorantes dei auxilium exauditi sunt. dum enim anxii circa inveniendum dominum suum ulterius aliquantulum in vastissimam eremum procederent, ecce ante se a longe duos homines conspiciunt et dubii inter spemque metumque, an ipsi quos quaererent essent, dominum suum esse agnoscunt et concito cursu accurrunt. ille etiam eos recognoscens cum comite ruit eis in obviam et ab utrisque prae nimietate laetitiae nimietas lacrimarum fusa est. tandem post dulces amplexus et mutua oscula dux ait 'dicite, quaeso, dicite, socii, quis vos in pelles consuit?' at illi 'domine, iste tuus dilectus et electus. hunc nos reliquimus valde moestum, quia nullum qui se in pelles consueret invenit. unde, quia procul dubio superna aura iam vescitur, animam eius deo commendemus.' quo audito dux amarissime flebat et preces attentissime pro salute animae illius deo, fidelium conditori et redemptori, fundebat. sed ipsi iam diutina fame laborabant: unde tam fungos quam herbas et radices quas invenire manus poterat manducabant. post refectionem sitis vehementissima illos perurebat, sicque tota die usque ad vesperam quisque sitibundus usque ad mortem per silvarum opaca et invia vix se movebat. sed circa solis occasum viderunt in remotissimis concavitatibus convallium per montem quendam decurrentem amoenum fluvium: ad quem per innumera rupium praecipitia nunquam, ut credi potest, nec prius nec postea hominum accessibus frequentata modo manibus modo genibus reptantes cum summo vitae discrimine se dimittentes vix venie-

4. expectabit *a*. 17. pro *a*. 26. fungos i. suamme *ab*. 28. perurgebat *ab*. 30. vix se] vixerit quisque *ab*. monebat *a*.

bant et naturalis sitis permaximam necessitatem abundantissime dulcissimis et purissimis fluentis restinguebant. sed adhuc timor de gryphiūm immani ferocitate excoquebat eos, et silentium tenentes, ne gryphes vociferationibus eorum acciti eos surriperent, quasi pausando et amoenitatem fluvii considerando subsistebant et diversis piscium grandium motibus fluvium esse piscosum animadvertebant. unde debilitatis fame et itineris lassitudine corporibus indulgebant et pisces quantos volebant captos, comite Wezilone per ferrum venantibus et piscantibus aptum de silice ignem excutiente, quosdam assabant quosdam coquebant pro libitu et optime famis inopiam tanta copia eximebant.

26. Post famis exemptionem procedere ulterius volentes non poterant prae praeruptissimis usque ad caelum, ut ita dicam, porrectis rupium maximarum parietibus vix volatibus avium transgressibilibus. item reditus per viam qua descenderant, mirantibus et quomodo transcenderint, propter nimiam rupium proclivitatem negabatur. communi ergo consilio alveum fluminis secuntur et tandem ad montem per quem quamvis maximis rupibus obstrusi fluminis impetus ferebatur veniunt, ubi ulterius progredi nequeunt. erat quippe permaxima montis concavitas et euripus fluminis sonitum maximum generans ad modum Charybdis ex profunditate montanae concavitatis modo abscondebatur, modo subito de concavitate prosiliens in praecipitiumque deruens ex altera parte colligebatur in se ipsum, magnum amnem. tunc desolati proceres omni humano consilio, quia nullum iter nisi revertendi in syrticum mare cernebant, adesse sibi deum per gratiam implorabant. huius consilio inspirato, trabibus succisis et per torques communiter intorquendo tam a duce quam a milite elaboratos sine ornamento, sed cum stabilissimo firmamento compaginatis, cum inaestimabili et ineffabili vitae periculosissimo discrimine tandem per montis foramen, portantes omnia in iisdem tabulatis arma sua, transiere. in monte vero triplex periculum institit: unum euriposissima vertigo minans pluteo

1. naturalem sitim *b*. 2. restringebant *ab*. 4. et cum sil. *ab*. 19. alvum *ab*. 22. eu ripus *b*, curi post *a*. 25. in praecipitium se dirusas *ab*. 27. annonem *a*. 36. minans] nimiam *ab*.

tabulatui dissolutionem per frequentissimam et maximam in montis intrinseca et extrema impulsionem: alterum fuit periculum tenebrarum tanta immensitas ut nemo alterum videre potuerit: tertium quod nemo audierit vel audire quiverit propter nimiam fluctuum quaqua versum monti se illidentium tumultuationem. unde ad dominum vociferantes altisonas preces in hunc modum fuderunt. 'o domine Christe, qui in hypostasi sive in substantia constas ex duabus substantialibus naturis, usia et usiosi, quarum prior, scilicet usia, est tantum tui ipsius, creatoris omnium, essentia sive substantia per se sine subiecto extrinseco et forma extrinseca existens et existere cuncta faciens, altera tua substantia, scilicet usiosis, id est substantia subiecti sive subsistentia, quae est tantum creaturae et est tamen ycos sive imago quaedam non propria tuae usiae secundum quod es deus salva nos, salvator, qui salvasti Petrum in mari, qui a syrtico mari et a gryphium unguibus fecisti nos prius liberari.' consummata harum et consilium precum instantia ecce lux primitus rarescens se ex gratia increatae lucis illis obtulit et ingens gaudium contulit. tunc montem valde fulgorum aspexere et lapidem unionem dictum ab uno, quod unus sit et nunquam sint eiusdem generis duo lapides, ab illo monte abrupere. hunc lapidem Romanus imperator quilibet in corona regali propter decoris ingens augmentum collocatum ab Ottone imperatore, cui illum dux Hernestus, ut dicetur in sequentibus, tradidit, baiulare solet. huius naturam lapidis nobilissimam si quis investigare voluerit, in lapidario discere poterit.

27. Sed ad materiam de qua digressum est stilus reflectatur. dux saepe praetaxatus cum suis in tabulato trabium litori Arimaspi appulit. tunc relictis tabulatis, sed armis usurpatis, iterum per desertum et opaca silvarum valde lassi, laeti tamen quia de fluctibus evaserant, tota die ibant, sed ecce subito quam plurimas urbes et castella munitissima situ naturali et labore artificiali aspiciebant.

6. ad dominum *wiederholen nach* altisonas *ab*. 8. ex duabus substantiis ex duabus substantialibus n. *ab*. 14. tamen *a*: cum *b*. 15. ycos *ab*. *gemeint ist* icon. 19. se *nach* lucis *wiederholt in* *ab*. 30. praetactus *b*.

in terra illa Arimaspa sunt homines nominati Cyclopes, unum tantum oculum in media fronte habentes. dux et sui inter urbes varias unam excellentem prospicientes, et ideo in illa praedivitem optimatem quempiam habitare conicientes, ante illam veniunt et gratia pausationis subsistunt. burgenses vero egredientes et ingredientes ubi illos duobus oculis oculatos aspiciunt, non satis stupendo mirantur et, quasi monstra sint hospites, propter curiositatem videndi oculatos binis oculis concurrendo tunc ipsos glomerant et tandem domino suo comiti novos homines monstruosos, quia duobus oculis oculosos, adesse intimare non remorantur. ille non minus quam Cyclopes sui hoc permovetur miraculo, arbitrans procul dubio silvestres homines sive Satyros illos de silvis casu erupisse. hunc cum illi adiere, ab ipso benigne salutantur, salutati hospitio suscipiuntur, suscepti quod genus, unde domo appulsi sint, quibus oris, disquiruntur. quem tristi vultu respiciens dux ait 'nulla de quapiam re responsa dabimus nisi prius corpora reficiamus, quia maxima inedia laboramus.' vix dicta dux finierat et comes omnia humanae vitae necessaria plenissimo, ut ita dicam, cornu copiae ministrare iusserat. post abundantissimam refectionem aiunt comiti 'domine, tempus et res expostulat ut vestimenta per te nobis ministrentur, quia verecundia pro nuditatis nimietate pene nobis mortem generat.' ad hoc comes 'dicite, quaeso, dicite de statu vestro, et omnia dabo vobis.' cui dux 'imperator omnium imperatorum quos terra sustinet et super quos deus solem suum oriri facit me de patria mea, iure paterno et iure hereditatis mihi possidenda, sine omni iustitiae ratione pepulit. unde cum ei nimis praevalenti contra me cederem et cum magna meorum tam optimatum quam etiam vasallorum multitudine navigio transfretarem gratia visitandi et adorandi sepulcrum Christi, tempestate maris multos perdidi. deinde proelio commisso adversus Agrippinos iterum multos non sine hostium magna strage ibi amisi. iterum secunda tempestate maris trierim nostram syrtico mari

2. in medio frontis *b*. 8. sint] sicut *ab*. 9. glomerantur *ab*. 16. unde deuuo *ab*. horis *ab*. 28. me *a*: mea *b*. 30. me pepellit *ab*. 31. etiam *a*: et *b*.

appellente tota nobilissima et strenuissima iuventus heu periit praeter nos sex a gryphibus extra mare in nidos suos deportatos. inde vix elapsi et cum summo labore et maximo vitae nostrae discrimine per invia et praecipitia montium et per concava convallium ad flumen notum vobis devoluti super tabulata magnarum trabium compaginatarum per montem vicinum non cum minori labore et vitae discrimine quam prius oris vestris advenimus.' his cognitis comes lavacris mundissimis iussit ipsos splendidissime ablui et ablutos pretiosis camisilibus, femoralibus sericeis auro consutis, pelliceis desuper tunicis purpureis cycladibus opertis solemnissime superindui, intendens ut pro miraculo hominibus illius terrae ostentando semper in curia sua eos haberet.

28. Rex vero Arimaspi, ut fama frequens eius attigit aures comitem novos homines adventicios habere, missis legatis mandat ut sine mora cum miraculosis hominibus veniat. ille venit et vellet nollet compulsus et ex hoc moestissimus imperatori hospites dedit quae datio duci et suis gaudium peperit eo quod honestius in curia imperatoris quam comitis manere visum fuerit. sed in cuiusdam diei diluculo dux prospexit subito ingentes flammarum glomerationes. unde non satis causam incendii admirans regi ait 'video, domine, video terram tuam, ut suspicor per hostium manus accensam, passim devastari. sine me, si placet, has tuas iniurias, si possim, pulsis hostibus vindicare.' ad hoc rex 'non possunt' inquit 'hii hostes domari, quia hi homines Aethiopiae sciopedes, magnitudine pedum se tegentes et super mare tamquam arenam terrae currentes, nullius cursu possunt praeoccupari.' cui dux 'sine mora socios adpara.' quod citissime factum est. dux igitur cum suis in equis velocissimis per occulta viarum compendia illos a mari intercepit et pene omnes praeter paucissimos fuga elapsos et nunquam in terram illam destruendam progressuros interfecit. unum tamen vivum in vincula deiectum adducens laetus victor revertitur, qui cum suis ab rege honorificentissime suscipitur et

1. appellentem *ab*. 8. horis *a*. 23. causam *fehlt b*. 27. sanctitare *ab*.

deinceps ab omnibus tam duci quam suis magnus honor exhibetur. iisdem temporibus gens inculta, sed aurita aurium multitudine multa, more suo pro tributorum singulis annis mittendorum persolutione ad regem legatos protervos et proterve totius regni vastationem minantes misere. ad quorum legationem non parum stupefactum regem dux consolans ait 'cuiusmodi sunt haec monstra?' cui rex 'nullius iustitiae ratione, sed cervicosae superbiae impugnatione Panotii, gentes Scythiae, instituta tributa exigunt.' unde ille cum suis et cum cetera imperatoris armata iuventute eis occurrebat et commisso proelio pene omnes interimebat et terras illas perpetualiter a tributis Panotiorum liberas restituebat. duos vero illorum Panotiorum vivos reservans cum ingenti tripudio repedabat. quem imperator cum suis laetissime suscepit et amplius in omnibus consiliorum suorum mysteriis ipsum asciscens semper honorabat. insuper regnum iuxta mare quinque urbibus opulentis et castris infinitis ditatum et munitum ei et suis proprio iure dominii possidendum contradidit. unde laetus dux assumptis sociis et novis captivis possedit contraditum regnum et summa virtute et aequitate rexit.

29. Ad illas partes admoti erant Cananaei gigantes, longitudine sua pinuum altissimarum altitudinem superantes et ob huiusmodi corporum suorum magnitudinem multa vicinis mala et praecipue regno Arimaspi frequenter intentantes. unde solito more miserunt ad regem Arimaspi legatum gigantem qui quindecim annorum eminens altissimis arboribus et pro armis ferens in manibus ingentem arborem superbo et truculento vultu assistebat et tam regi quam omnibus ditioni suae subiectis vitae excidium et omnium possessionum suarum dispendium minando praetendebat, nisi mittere tributa pro velle gigantum instituta maturaret. forte iisdem temporibus de regno contradito dux Hernestus in curiam regis advenerat et audita legatione ad regem apostrophat 'huiusmodi tributa, quia pro irrationabili Cananaeorum velle sunt instituta, ense per-

9. pannothii *a*, pannochii *b*. *so auch nachher*. 13. liberam *ab*. 16. assistens *ab*. 20. et traditum *ab*. 23. pinium *a*, pinnium *b*.

solvenda censeo.' super hoc verbo gigas indignans et iratus rediit ad compatriotas suos remque omni ordine pandit, adiciens hoc quoque 'vidi homullulum qui superbissima verba prae omnibus aliis iaculabatur, et cum imperator vellet solvere, ipse solus, quia est regi apprime familiaris, contrarium nobis moliebatur.' gigantes itaque tam in suis, scilicet Cananaeis, quam in exteris partibus collecta innumera gigantum caterva extra Cananaeam, patriam suam, exeunt in regnum tam ducis, quia confine ipsis fuerat, quam etiam in regnum regis Arimaspi ad devastandum progressuri. dux vero per famam eorum propositum et iter futurum agnoscens regi per nuncium significavit. unde rex perterritus omni regni sui iuventute ad ducem conducta omnibus a ducis pendere consilio imperavit. dux vero cum scivit quod gigantes in silvam adventassent, eos antequam extra silvas procederent, eo quod in silvis prae magnitudine corporum non essent agiles ad oppugnandum, debere impugnari suos iubet, et sic factum est. cum enim in silvas gigantes cum permaxima turba et vesania devoluti essent, ipse dux et Wezilo cum suis et toto exercitu Arimaspi, qui in silvis sub maximo silentio latitabant, dato signo militari subito ex improviso Cananaeos gigantes invadebant et sine misericordia illos, non habiles nec potentes parare obpugnaculum hostibus aut sibi ipsis defensaculum, omnes pene occidebant et occisos in campi planitiem protrahebant, et ad considerandum granditatem corporum giganteorum cunctus exercitus, imo et ipse dux in equo advectus advolavit. tunc forte auditu animadvertens aliquos gigantes per silvam, iter quo venerant, fugam recolligere, sine mora insequitur fugientes, sed unum tantum vulnere gravi praepeditum a fugae praesidio reperit, quem secum extra silvas in sua deduxit. super illum ergo semivivum relictum misericordia motus et gressibus piae humanitatis illi appropinquans per physicum optimum alligavit vulnera et curam eius, vere proximus eius, tam per se quam per omnes suos fecit. hac curationis summa diligentia gigas sanatus in amorem ducis

7. extremis *ab*. 14 omnes ad d. p. consilium *ab*. 24. parare] pugnare *ab*.

concitatus deliberavit inevitabiliter se et perpetualiter quoad viveret secum mansurum et deliberationem executus fideliter exolvit.

30. Illo in tempore devenit ad aures ducis esse vicinos quosdam Indiae homines Pygmaeos unius cubiti, qui ovis avium in terra illa nidificantium vescantur hac intentione ut, cum fetus avium ab ipsis devoraretur, multitudo avium quae ibi nimia abundat minoretur et tanto facilius quanto minor est multitudo avium vita illorum hômullulorum ab impugnatione avium per se ipsos homullulos defensetur. unde per unanime suorum consecretariorum consilium, relicto exercitu et hominibus quos bellica vi acquisierat, assumpto Wezilone comite et aliis magnanimitate bellica probatissimis militibus Pygmaeos navigio adiit. hi ut tantae staturae et multitudinis homines ad se venire viderunt, obstupuerunt et finem vitae per hos adentes adesse timuerunt. protensis ergo in caelum manibus pacem et vitam paciscuutur et summopere deprecantur. quibus proceres aiunt 'non venimus solvere pacem, sed adimplere et vitam vestram ab avium periculosis impugnationibus, si deus annuerit, salvam facere. cras ergo contra aves egrediamini et nos ad habitationes earum deducite: tunc videbitis auxilium domini per nos super vos.' duce ipsorum postea pericula inquirente unus de numero eorum iuvenis in medium conventum se proripuit et stans ante ducem suosque ait 'o domine, quando iter aliquod pro alicuius negotii mei definitione nocte arripui, die illucescente prae timore avium in specu aliquo tota die delitui et ad noctem iter deliberatum perfeci. item in tempore nocturno agrum colimus, quia die prae avium impugnatione non audemus nec valemus. alia quam plurima incommoda, quae nimis longum est enarrare, per aves in terra nostra propter infortunium nostrum etiam iugiter maxime prae aliis terris conglobatas inferuntur. precamur itaque ut, quia nos ad ultionem in aves multarum iniuriarum prae corporum parvitate et imbecillitate non sufficimus, vos saltem, qui estis in comparatione nostrorum gigantes, de illis hucusque iniuriato-

16. adesse] esse *ab*. 20. avibus *ab*. 27. die vero lucescente *a*.
31. plura incommoda quam nimis *ab*. 33. conglobatis *ab*.

ribus satisfaciatis.' horum precibus annuens dux ubi altera die Titan terris illuxit exercitum suum cum Pygmaeorum quoque turbulis in insulam, in qua multitudo avium confluxit, conduxit, et tandem cum multa strage Pygmaeorum morsibus avium mortificatorum dux victor victoriam de avibus Pygmaeis tantam tam maxima multitudine avium prostrata contulit ut amplius nullis inquietationibus avium molestarentur et prorsus liberati redderentur et de carnibus prostratarum hostilium avium plus quam per anni spatium sufficientissime pascerentur. unde post exercitus et de insula reversionem rex Pygmaeorum ingentissimas agens gratias duci et suis pro exhibita de avibus victoria [et] gemmarum pretiosarum dona ducem et suos accipere attente postulavit. dux illa respuit et ut saltem pro munere duos homunculos contraderet rogavit et a rege duos ministeriales suos impetravit. tandem cum regis Pygmaeorum et omnium suorum devota benedictione cum summa iocunditate habita de ludis et imparitate Pygmaeorum et gigantis Arimaspum, ubi ab omnibus indigenis et a rege suscipitur, remeavit.

31. Dux, ut per gratuitam bonitatem dei pleno, ut ita dicam, cornu copiae omnia temporalia ad votum successerunt, more beati viri in sapientia aeternorum morans et in iustitia Christianae legis meditans toto in sensu cogitavit circumspectionem dei. quadam itaque die quasi gratia deambulandi cum paucis sibi admodum familiaribus adivit portuosos maris recessus. interim Mauri de ulteriori India vi marinae tempestatis trieri sua ad portum Arimaspi appulsa applicuerunt. dux illico missis nunciis mandat perscrutari, quod genus, unde domo, cuius fortunae, et cuius religionis professores et cultores existerent. at illi 'quod primum est, non tempore, sed dignitate, profitemur. Christiani sumus et tempestate maris his oris de India allabimur, sed prae nimia inedia omnes usque ad mortem laboramus. quicunque ergo fecerit nobis misericordiam supplendo foedam nostram inopiam per suam splendidam

9. hostium *ab*. 13. dona *fehlt ab*. 19. ubi *a*: ut *b*. 23. beatus vir. qui in sapientia morabitur *Jes. Sir.* 14, 22. 30. qui eius fort. *b*, quibus fort. *a*.

copiam, hunc a Christo misericordiam consequi suppliciter optamus.' quibus auditis dux apprime exhilaratus omnibus bonis eos refici mandavit et refectos si quae sint in terra sua proelia interrogavit. at illi 'domine' inquiunt, 'rex Babyloniae cum grandi exercitu terras nostras creberrime infestat, eo fine ut de luce christianae religionis transmigremus ad tenebras et confusionem idolatriae. nos autem confidimus in domino, qui potens est protegere nos sub umbra manus suae ab huiusmodi peccatoribus intentibus arcum ut sagittent in obscuro rectos corde.' dux illico spiritus sancti fervore concepto, habitis consiliorum mysteriis cum comite Wezilone et ceteris suis probatae fidei symmystis, decrevit ire in Indiam ulteriorem ad bellandum bella dei, et assentientibus Indis in trieri illorum onerata omnibus necessariis abscessit sine licentia regis Arimaspi, eo quod esset paganus, assumptis suis, scilicet seriorum contironibus et ludorum actoribus quos in bello adeptos collegerat. tandem post multorum periculorum maximorumque transcursionem et monstrorum miraculosorum in mari perspectionem ventum est in ulteriorem Indiam. rex vero forte illius terrae post generale colloquium habitum in vicino loco quodam cum optimatibus et vasallis suis maximo intererat convivio. ille vero per Aethiopes conspectui suo cum summo honore ducem et suos repraesentantes compertam habuit ducis circa Aethiopes beneficientiam et probitatis suae et suorum leoninam excellentiam, dignissime cum universo suo collegio post gratiarum actionem ipsum cum suis suscepit et susceptos omni humanitate fovens in omni regno suo apprime honorari praecepit. in consiliorum etiam regis omnium mysteriis dux cum comite Wezilone interesse iugiter rogatur et post diversorum diversas sententias ducis denique consilium providum et sanum ab omnibus quasi ab ore eius pendentibus expectabatur.

32. Post in cuiusdam diei diluculo fama, malum quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, volat regem Babyloniae cum infinitis paganorum cuneis de suis partibus

9. peccatoribus — corde: *ps.* 10, 2. 17. auctoribus *ab.*
24. repraesentans *ab.*

prorupisse fine martyrizandi omnes omnis aetatis et sexus Indos qui non a créatoris, qui est via veritas et vita, adoratione declinantes ad idolatriae falsitatem converterentur. hac fama satis periculosissima regem et suos omnes non parum totis medullis perterritos dux Hernestus animadvertens sermone consolatorio huiuscemodi adorsus est. 'mi domine rex et universi fratres et patres, uti in libro vitae conscripte didici et vos didicisse per praedicatores ecclesiae satis confido, iuxta eulogium Hieronymi scribentis ad Rusticum monachum nihil Christiano felicius, cui promittuntur regna caelorum, nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur, nihil fortius, qui vincit diabolum et satellites eius, quales sunt rex Babyloniae et sui complices, nihil imbecillius, qui a carne superatur. huius eulogii significatione tu et tui, immo et ego et mei confortati nihil timeamus eos qui occidunt vel occidere possunt corpus, animam autem non possunt occidere, cum hi in curribus et in equis temporum volubilitate trahantur et superbis honoribus efferantur, nos autem populus gentium de lapidibus suscitati, melius filii Abrahae per adoptionem quam Iudaei per carnis generationem, qui surreximus quidem a vitiis et a morte idolatriae, non quidem viribus nostris, sed per fidem iustificati, erecti ad alta in nomine domini dei nostri invocemus et cito accitis in omni regno tuo tuis illis, qui obligati sunt terrenis desideriis et feritatibus, occurrere non tardemus. sive enim vivimus sive morimur, domini sumus. verumtamen pagani, praeambuli et pugiles Antichristi, sciant, immo per misericordiosam dei praevenientem et subsequentem gratiam scire illos faciam me propria manu missurum multos de morte temporali in aeternam. etiam si ipse ignitus Iupiter et Machomethus eis adesset, illos ipsos merdosos deos impeterem.' his et aliis huius ducis magnanimi exhortatoriis verbis rex Indiae et omnes adentes inspirante dei numine vehementer animantur et collecta quam maxima pro tempore et loco Christianorum multitudine in obviam regi Babyloniae procedunt. ille vero iam partim initiata malitia, sed non satiata, templa

1. fine *b*: sive *a*. 9. Hieronymi: *ep.*, 125, *bd* 1 *s.* 932 *Vall.*
19. de lapidibus suscitati: *Luc.* 3, 8. 37. iam] nisi iam *ab*.

antiqua eiectis sacrosanctis reliquiis subverterat, matres et pueros ipsorum martyrio ad caelos transmiserat. rex Indiae papiliones castrorum de propinquo figi iussit. ubi vero terras axe Titan illustravit, uterque exercitus gradatim loco quo bellum committendum erat utrinque appropinquavit. rex vero exercitum suum paululum subsistere iubens compendiosis huius modi verbis exhortatoriis apostrophavit. 'eia milites Christi, iam non mei, mortem nefandam matrum et parvulorum, quos lupina paganorum rabies diversis mortis generibus iam pro fide Christi interemit, didicistis et quod de vita et patria et vestrarum tam dulcium coniugum quam et parvulorum, senum et omnium Christi professorum res agitur iuxta illud sapientis "nam tua res agitur, paries cum proximus ardet." memores itaque avitae generositatis et strenuitatis hodie summo nisu enitamini eripere patriam et vitam vestram et vestrorum possessionem ab articulo tam durae et miserae necessitatis, scilicet a mordaci dente paganicae in Christianos voracitatis. si enim hodie iugum paganicae servitutis a collis vestris non excusseritis, miserabilissima vos opprimet conditio, quia procul dubio omnia tormentorum genera in vobis et vestris expendi una cum destructa patria et vestris possessionibus cedentibus in praedam hostium bestialium sentietis. eligite ergo, eligite, optimi Christi milites, sed mei commilitones, eligite, inquam, plus pro Christo mori, si tamen ita dei providentia ordinavit, quam per fugam labi et turpiter vivere. spero tamen de misericordia Christi, cui hodie militamus, quod de hostibus suis ecclesiae victoriam de caelo ministrabit.'

33. Ad haec dux 'tempus et res expostulat, quia et fama hostes adventare nuntiat, ut acies tuas sapienter ordinare non differas et ordinatis aliquos quorum magisterio regantur praeficias, vexillum etiam tuum ad hoc alicui condigno deducendum in hostes committas.' cui rex 'facta tua gloriosa clamant in ore multorum quam magna sit tuae multimodae virtutis gemmea excellentia. inde est quod intuitu

7. modi *fehlt ab*. 9. nefando martyrum *ab*. 13. sapientis: *Hor. ep.* I. 18, 84. 14. dum *ab*. 16. enitamur *ab*. 37. geminae *ab*.

dei, pro cuius amore exul multos labores sustinuisti vexillum meum in hostes Christi deferre summopere exoro, non praecipio, quia non praecepti mei lege aliqua concluderis.' ad quae dux 'domine rex, petitioni tuae libens annuo. ecce coartamur magnae necessitatis articulo.' invocans itaque Christi auxilium dux vexillum arripuit et ingens iuventutis constipatio circa ducem signiferum facta est. accurrit illico comes Wezilo cum suorum societate et ait 'quandoquidem vexillum suscepisti, nil tardandum tibi, sed maturandum te in apertam et confertam hostium frontem proripere, ut copiam et materiam belli inveniamus.' pro consilio itaque comitis prudenter et audacter se proripiens in apertam hostium frontem duxit agmina. comitabatur illum etiam gigas suus trabem magnam in manibus gestans. comes tunc ait 'ecce domine dux, pagani cum vexillo appropinquant. non opus est monitis, sed virilibus factis quae quemque deceant. ergo divertamus ad illos.' cui dux dum obtemperare niteretur, rex Babyloniae cum ingenti multitudine divertit ad ducem. committitur ergo proelium et post lancearum subito confractionem, post telorum etiam ad similitudinem grandinis et nivis densae volantium emissionem eminus, res ensibus cominus geritur. quamvis enim dispar exercitus utriusque causa, tamen par pendebat ad tempus belli alea. unde cum utrique facerent fortiter, maxima caedes utrorumque orta est et cruor ad instar magni torrentis decurrit largiter. rex vero Babyloniae ubi ducem et suos ad similitudinem leonum grassari in suos cum permaxima strage animadvertit, toto nisu intendens in illum divertit. comes vero Wezilo illum praeoccupans gladio totis viribus in regem acto ipsum una cum caballo elegante solotenus prostravit. videres ibi gigantem audacissime domino opitulantem et quoscumque trabe contingere poterat morti in auxilium sui ducis praecipitantem. casum regis pagani ubi animadvertere, ad prostratum moliti sunt cum confertissimo cuneo concurrere, et qui eripere prostratum moliti sunt ipsi quoque a duce et suis occubere. tunc tandem ex necessitatis dirae com-

11. prorumpere *ab.* 13. dux *ab.* 14. etiam] tam *ab.* 21. et nimis dense *ab.* 31. videns *ab.* 33. praecipitavit *ab.*

motione gens incredula cessit, quia gigas inaestimabiles plagas ingessit. multo maiores nostris fuissent ab hostibus ingestae, si per gigantem, quasi per causam adminiculantem, deus, auctorizans causa, illas a nostris non removisset. cogebatur demum rex ense dato duci se dedere. unde et pagani maturabant quaquaversum clipeis in bello declinatis fugae praesidio nostris cedere.

34. Sic rege captivato itur in campum quo bellum commissum fuerat, suus a suo inter semineces et mortuos quaeritur et dux unum de suis qui syrticum mare evaserat ibi occubuisse comperit. unde totis permotus visceribus deflevit et deplanxit militem, planctibus adeo miserabilibus qui etiam saxeum pectus ad flendum emollire possent a duce quidem editis, sed pro vitanda prolixitate hic non positis, et defleti post missarum solempnia corpus terrae et animam caelo attentissime commendavit. post regem Babyloniae captivum adiit et ait 'rex, de tua liberatione disponerem, si te mihi ducatum daturum esse in gloriosam civitatem dei Ierusalem post liberationem confiderem.' cui paganus 'rationem et occasionem huius rei tibi praebendae non invenio, cum tu pene vitae meae exitum durissimis plagis intuleris et fidelis comes tuus Wezilo in pugna prostraverit. ignosco tamen omnia, cum vos inevitabilis necessitas ad illa quae mihi intulistis compulerit.' deinde dux coram ipso pagano suos captivos adductos in vicem varios iocos exercere mandavit et summam Iliadis laborum toleratorum recitavit. ad quem paganus 'defixum iam in consilio habeo quod, si tu me de huius captivitatis iugo absolutum prece coram rege Indiae reddideris, numina tua devotus implebo bona fide, tam tibi quam tuis cum omnibus itineris supplementis ducatum in cupitam civitatem praebendo.' his pagani promissis exhilaratus dux continuo ad regem Indiae acceleravit, inquiens 'quandoquidem ad votum tuum status regni tui per misericordiam summi regis incolumis triumphatis hostibus conservatur, placeret mihi, si et tuae esset placitum maiestati, ut de modo absolvendi regis Babyloniae consilio meo deliberandum com-

6. *für* in bello declinatis *erwartet man etwas wie* in terga reclinatis, *nach dem deutschen* den schilt ze rücke werfen. 20. penes *ab.*

mitteres.' ad haec rex 'longe mihi alia mens. non enim absolvetur, sed ad fidem christianismi converti cogetur.' illud regis verbum non sedit in animo ducis, asserentis quod fides christianismi non necessitate coactionis, sed voluntate, filia praedicatoriae exhortationis, mentibus ad vitam praedestinatorum inseritur. accitus modo rex Babyloniae et accepta coram rege copia fandi ad regem ait 'non me ad regulam christianitatis compellito, sed quantumcumque auri et argenti pro mea redemptione accipito hoc pacto ut quoad vixero nunquam nec tuam personam nec regnum tuum inquietabo.' rex Indiae illico ducem compellans prudenti ex consilio inquit 'o nostrae victoriae post deum praecipuus auctor, numquid hoc pagani verbum insidet animo tuo et tuae discretioni?' at ille 'sedet' inquit 'et placet maxime quod in summa pacis tranquillitate regni tui carina portu quietae securitatis feliciter stationaria perpetualiter requiescet, deo tamen gubernante, qui non ad similitudinem Palinuri, nautae Aeneae, navim media linquentis in unda, ecclesiam, navim Petri mysticam, linquet, ut quamvis fluctuet, non tamen naufragium faciet.' post ducis orationem rex paganus ait 'in fide mea, quae nulla ratione sponsionis per eam factae transgressionis aut ullum mutationis detrimentum recipit, sancio me neque aliquem meorum tibi, o rex Indiae, aut regno tuo aut alicui tuorum deinceps nociturum, immo amare si cupis me, hac lege in trutina poneris eadem.'

35. Post huius sponsionis confirmationem et pagani a captivitate liberationem paganus ducem compellans ait 'fideles mei de absentia mea, ut spero, tristantur, quod super consolationes eorum patrium regnum revisere sine dilationis mora maturo. tu quoque si ducatu meo in Ierusalem aliquatenus traheris, mecum ire maturato.' dux his verbis acquiescens accitis laborum suorum iocosis fructibus, scilicet diversae staturae, diversae formae, diversae linguae hominibus, advolat ad Indicum regem, coram quo ait 'domine, dies optima, locus et fortuna me iter deliberatum

2. cedit *ab*. 17. Palinurus — medius effusus in undis *Virg. Aen.* 6, 339. 22. sanctio *ab*. me neque *ist nach deutscher art.* 24. amare *a*: iurare *b*. 25. in] et in *ab*. *vergl. Hor. sat.* 1, 3, 71 *f.*

in Ierusalem arripere suadent. multimoda tua circa me beneficia recompenset in aeternis divina clementia.' ad quem rex Indicus 'tui a nobis abscessus hoc verbum vehementer excoquit et exulcerat. si enim perpetualiter mecum stare deliberabis, amplis honoribus, immo et potestate, quae cum forma et fortuna mortales prima ducunt, per me ditaberis.' huic modesto vultu dux 'omnem omniumque bonorum mundi huius luxum, etiamsi totus mihi conferatur, visioni urbis quae visio pacis interpretatur postpono propter illum qui ante mundi constitutionem suos elegit et in finem dilexit. sine ergo, sine, quaeso, me meosque nolentes hic tardare cum tuae licentiae benedictione abscedere. verumtamen animam militis immo socii mei, ut interpelles et interpellare sacerdotes Christi rogites pro anima eius ad dominum, tuae almitati commendo.' data ergo a rege licentia et infinita tam auri quam argenti et gemmarum pretiosissimarum copia post sepulcri sui socii visitationem non sine magno luctu discessum est. omnis vero dies quo iter arripitur prae iocositate ludorum quos dispares inter se exercuerunt homines brevis regi pagano et duci suisque visa est et huiusmodi delectatio laborem viae attenuatum temperavit. emensis itaque aliquibus diebus ut regno suo appropinquare rex coepit, cum paganica gens eius adventum rumore secundo perciperet, laeta in occursum ivit, et ubi vidit tam raros apud se homines, non satis admirando stupuit. cognita vero ex relatu regis causa liberationis, scilicet pacto per interventum ducis satis honorifice peracto, dux condigne suscipitur et ab omnibus regni optimatibus et vasallis tam privatis quam publicis paganorum conventibus excolitur. item Babylonia non inmemor angelicae magnae exclamationis 'cecidit Babylon' exiit obviam regi laetabunda, in tympano et choro, in chordis et organo laudantes eum. visis vero comitibus multiformibus ducis iam ad tempus regi absentantur et de visione illorum, quos caelestis figulus pro velle suo ex luto in varia forma, varia statura ac lingua finxerat, non satis cum ingenti

1. pro multimoda *ab.* 2. recompensis *ab.* 5. potestates *ab.*
9. quae visio pacis interpretatur: *vergl. Hieron. bd* 3 *s.* 654 *Vall.*
19. pro *ab.* 31. cecidit Babylon: *apocal.* 14, 8. 33. deum?

admirationis stupore satiantur. ventum est in curiam, ubi post descensum regis et ducis et ceterorum à caballis spumea frena mandentibus terramque lascive pedibus scalpentibus dux in caminatam omnium ornamentorum generibus perornatam cum suis a regis primatibus benigne stipatus deducitur et, quasi secundus a rege, iussu regis tam splendida et opima omnium bonorum ministratione duci quasi regi a regis principibus et vasallis servitur. quamvis enim Christianae scholae offensi contrariabant, ducem tamen, quamvis Christianum, propter eximias eius virtutes, quas multiformes ludorum suorum actores in sui captione testificabantur, satis tenere et fideliter dilectum habebant.

36. Emensis quatuordecim diebus sub ingenti varia laetitia dux comitem Wezilonem sibi associat, regem accelerat, et in haec verba eum compellat ‘domine, ducatum iuxta magnificentiae tuae fidem promissum praebeto.’ huic annuens rex vultu laeto inquit ‘ut promissi mei, o princeps inclite, in nullo frustrationem experiaris (omnia quae possideo sine te perdita essent), incolumes et illaesos ab omnibus quos terra sustinet in Ierosolymam per fidelissimos meos te et tuos comitantes et omnia necessaria viae et vitae administrantes deduci te tuosque faciam.’ his dictis cum ad iter paratos compererat, immensam auri et argenti congeriem illis contribui fecit, duobus etiam militibus armatorum fide et magnanimitate probatorum sub obtentu gratiae suae inevitabiliter iniunxit ut eum ab omni molestatione defensarent et in locum aliquem quo Ierosolymam aspici fas sit honorifice et fideliter ductitare maturarent. nec mora, dux ante se praemissis saepe dictis monstruosis hominibus caballo insiliit, tota urbs sibi valedixit, et a paganorum phalangis ad tutelam sui suorumque destinatis secure per paganiae partes deducitur. festivis in itinere conviviis reficitur, tandem venitur ubi gloriosa civitas dei conspicitur. tunc paganus ‘domine’ inquit, ‘hoc in loco te a nobis deseri necessitas compellit, quia ecce urbs quae a Christianis tuis frequentatur, cui nos ultra

11. auctores *ab*. testificantur *ab*. 12. tenere infideliter *ab*. 17. inquiens *ab*. 30. caballis *ab*. 31. phalangis *ist dem verfasser zuzutrauen*.

locum in quo nunc es appropinquare non audemus eo quod de illa nobis periculum vitae forte intentatur.' quos inclinato ad eos capite post gratiarum actionem pro multorum beneficiorum exhibitione abire permisit et ipse deo pro eo quod contra opinionem et spem suam deus mirabili providentia ipsum Ierosolymae repraesentaverat gratias egit. ubi tandem ante suburbium dux cum suis devenerat et frequens rumor de adventu suo aures multorum resperserat, magna burgensium occurrit multitudo eo quod prius audierint eum quidem cruce signatum gratia visitandi sepulcrum Christi, sed in Syrtibus cum socia classe morte occubuisse. item clerus monasteriorum tam incliti ducis adventum animadvertens dulci et altisona melodia ad laudem dei solemnizans eum suscepit. item ipse rex Ierosolymitanus et regina in occursum suum ad salutandum processere, et cum per compita et plateas civitatis mirabilis formae et staturae homines cum duce adventasse divulgatum fuisset, omnis aetas et sexus ad videndum monstra accurrere nec satis admirando stupentes usque ad sidera ducem laudibus extulere. dux illico monstra sua sistere ibi gradum mandavit, giganti vero ut se comitaretur et per ingentem trabem quam gestabat manu latus suum a turbarum nimiarum constipatione tueretur imperavit, et tunc cum suis ad sepulcrum domini venire maturavit. quo veniens sacrificium offert materiale. demum ante altare solotenus prostratus sacrificium cordis contriti reddit spirituale et rigato pavimento lacrimarum imbre ait 'o prae omnibus vitae meae diebus hanc dulcissimam diem, quam vere specialis laetitiae collativam fecit dominus, qua nos de faucibus mortis multifariae ereptos huic sacrosancto sepulcro incolumes repraesentavit. in honore ergo ipsius dei, tam misericordiosi creatoris et a morte saepe ad deglutiendum nos hiante liberatoris, me per anni circulum et diem serviturum hic cum meis voveo.' his dictis de pavimento manibus venerabilium personarum levatur, ipse rex et regina et tota civitas propter hoc huius votum laetatur, templarii continuo de urbium et provinciarum a pa-

18. aetatis *ab*. 36. hoc et huius *ab*. 37. et *fehlt ab*.

ganis devastatarum multifario dispendio vociferantur. post horum querelabundam proclamationem comes Wezilo ait 'salva domini mei ducis gratia, concesso ut eius responsa praeveniam; tantam in domino meo compertam frequenter habeo virtuositatem quod per eam Christo praeduce, si vita comes fuerit, pressura vestra multiplex multiplici commodo resarcietur et iniuriarum iniuriatoribus talio in brevi abundanter maiori mensura quam filii Belial mensi fuerint remetietur.' horum dictorum veritati adstipulata est executio factorum ducis praeclarissimorum. in brevi enim tempore urbes aliquas et provincias partim dentibus voracium bestiarum deletas et celerrime integraliter delendas, si auxilii remedium non subvenisset, dux bellica manu Christianorum ditioni restituit et tamquam leo, confidens tamen non in se, sed in domino, pro domino multas clades caedes rapinas hostibus domini sui ingessit. unde et rex Babyloniae omnibus suis suggessit ut ab infestatione Ierosolymae et omnium ad urbem pertinentium interim quousque dux in terra illa staret se quam maxime temperarent, alioquin mortem omnes a viro cuius bellicositatem ipse expertus fuerat incursarent. sic probitatis eius bona fragrantia nomen suum in ore multorum quasi mel indulcatum posuit. mater quoque eius Adelheidis imperatrix cognovit quod filius suus et fidelis eius comes Wezilo in Ierosolymis starent et continue imbrem lacrimarum occulte inde fundens post orationem secreto pro eo tunc sicut semper consueverat fusam ait intra se 'fili mi Herneste, fili mi, quis mihi det ut tuo aspectu aliquando perfruar?' interim forte imperator supervenit et fletus sui forte denotati causam disquisivit, hoc adiciens 'domina, habeo ad vos quod perferam. filius vester in Ierosolymis demoratur et canis respersus esse narratur.' ad haec verba in lacrimas tunc manifeste resoluta regina regi respondit 'domine intempestivi funduntur vertice cani. unde hoc filio meo? venit enim properata malis inopina senectus et labor aetatem iussit inesse suam. otia

4. meo] modo *ab*. 21. incursaretur *ab*. 24. f. eius et f. suus *ab*. 27. infra *ab*. 34. intempestivi — cani *Boeth. cons. phil.* 1, *m*. 1. *eben daher ist* venit — inesse suam. 36. otia — labor *Ovid.*

corpus alunt, animus quoque pascitur illis: inmodicus contra carpit utrumque labor.' post exitum regis de caminata ab hominibus suis duci vitae incolumitas a deo exoratur et reditus quam intime exoptatur.

37. Interim transcurso sub multimodarum sudore virtutum anni circulo dux Hernestus, quamvis omne solum forti patria est ut piscibus aequor, tamen dulcedine patriae captus fuit iuxta illud 'nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit et immemores non sinit esse sui.' unde perlustratis gratia adorationis omnibus omnium mysteriorum Christi locis et accepta benedictione a patriarcha et a rege et a regina ceterisque tam spiritualibus quam secularibus personis, civitatis capitaneis, assumpsit ludorum actores magnis partos seriis et laboribus, demum duobus peregrinorum milibus se et suos trans mare commeaturos comitantibus urbem, urbis incolis abscessum eius deplorantibus, egreditur. tandem trieribus conscensis et maribus sulcatis Barum prospero vento venitur, ubi unus de numero biformium, scilicet blatefuoze, moritur. Bareuses in mari ambitiosa classe occurrentes illum et omnes suos digne susceptos omni humanitate fovere et visis biformibus obstupuere, dicentes 'quantus est gloriosus iste qui ingreditur civitatem nostram inauditis comitatus monstris.' ibi post gloriosi Nicolai in honorem dei venerationem duabus emensis diebus dux et sui comitati a burgensibus trieres scandunt, aequora scindunt et aliquot diebus Romam perveniunt. huius in occursum Romana nobilitas tota ruit et miraculosorum hominum visione satiari non potuit. ubi vero ad limina apostolorum ventum est, intercepto ingressu templi ab infinita multitudine populorum usque ad caelum vociferante dux cum omnibus suis ante porticum templi salutatur. post ab universo clero praesente papa in hymnis multisonis suscipitur et adoratis apostolis ab apostolico in suam aulam hospitandi gratia colligitur. demum tota sua societas ad hospitia diversa deducitur. post dulcia colloquia et expleta opima couvivia rogatus a papa et a coetu omnium

ex Ponto 1, 4, 21. 6. omue — aequor *Ov. fast.* 1, 493.
8. illud] *Ovid. ex Ponto* 1, 3, 35 *f.*, *wo* captos *gelesen wird.*
14. auctores *ab.* 17. regreditur *ab.* 19. blatefuz *ab.*

nobilium multos in lacrimas resolventem exponit Iliadem suorum multiplicium laborum. tandem iniuriosam a patriae hereditatis regno expulsionem factam ab imperatore apud eos cum querimonia vehementer indoluit. papa ergo post confessionem excessuum secretam ducis cum universo clero praesente senatu absolvit eum et suos domesticos a vinculo anathematis quod incendiis et rapinis contra imperatorem exercitis contraxerant. his determinatis et apostolicis aliisque sanctorum pignoribus inibi diem iudicii feliciter expectantibus attentissime adoratis, accepta apostolica benedictione, cum suis comitibus iter arripuit. ibi cum diversi exules in diversas suas repatriaturi patrias licentiam abeundi impetrarent cumque ipse et sui familiares versus Teutoniae partes magis indies appropinquarent, quadam die in haec verba gemebundus prorupit 'putabam aliquando in exteris terris me meo finem posuisse labori, sed ecce in patria mea laboris principium et mortis periculum initiatur. olim nempe hospitia petentibus tribui, nunc miser hospes in incertis sedibus profugus hospitia petam. vide, deus, et iudica secundum innocentiam meam super me et fer opem, ut coram oculis imperatoris aliquam inveniam clementiam, insuper matris meae visione perfruar nimis hucusque afflictae propter meam absentiam.'

38. Ubi tandem ventum in Teutoniam, forte in tempore nativitatis Christi imperator curiam convocatis omnibus regni primatibus in Nuorenberg gratia instantis solemnitatis celebraturus erat. dux ergo ex consilii cum suis habiti deliberatione sub magno vitae periculo spem habens in matre, relictis in via omnibus comitibus praeter comitem Wezilonem quem sibi assumpserat, occulte in vespertino crepusculo urbem praedictam subiit et uterque faciem suam, ne in notitiam aliquorum deveniret, occuluit. circa vero tempus matutinum campanarum sonitu creberrimo utriusque sexus fidelibus ad ecclesias gratia audiendi divina solemnia se proripientibus dux comiti ait 'in manus regis omnium regum vitam meam et tuam summopere dedens commendo. si consulis, matrem meam imperatricem in ecclesia quaerere

8. apostolis *ab*. 26. Nourenbergh *ab*.

maturabo et, si deus annuerit invenire, inventae adventum meum significabo.' hoc verbum ut visum est sanum in oculis Wezilonis, dux se operto vultu, ne quis eum cognosceret, cum magno timore in ecclesiam proripuit. ibi multos astare principes conspexit et simulans se esse peregrinum varios basilicae angulos quasi oraturus lustravit. in quorum uno reginam prospectabat, quae iam, ut postea retulit, pro filii sui incolumitate et praesentia Christum, filium dei et hominis, puris precibus implorabat. ille ergo appropinquans temperato ac disciplinato gressu ad eam ait 'o praenobilis et dilecta domina, ianuam misericordiae tuae pulso summopere deposcens ut ad impetrandum imperatoris mihi gratiam pia precum tuarum instantia apud imperatorem intervenias. scias nempe sine ambiguitatis scrupulo quod, si me ira truculenta imperatoris ad mortem absorbuerit, mors mea gravissimum cordi tuo dolorem importans generabit.' imperatrix, illico faciei suae qualitatem subito aspectu denotans, ait 'ne timeas aut suspiceris quod ab imperatore aliquod vitae dispendium subeas. quid enim dignum morte tua coram oculis regis commisisti, qui inveteratus et canus appares? cras ad eum pro te interpellabo. tu vero quae sit culpa tua edicito. unde es et quo pergis? non aliquos rumores de quodam duce Bavariae Hernesto qui mare transierit animadvertisti?' his dictis ille 'domina' ait, 'mater mea estis.' illa subito oculis lacrimarum stilla repletis inquit 'ai, quare adeo inveteratus et canus es?' cui dux 'advenit properata malis inopina senectus et labor aetatem iussit inesse suam.' at illa 'superane comes fidelis tuus adhuc vescitur aura?' ad hoc dux 'vescitur annuente deo.' imperatrix mox propius accedere voluit. cui filius 'sta' inquit, 'ne aditu tuo in notitiam hostium meorum exponar, quia tunc morte subita moriar. iam nunc abscedam, tu vero aliquid consilii et auxilii impendito.' domina ultra modum stupida filio iussit 'episcopus Babenbergensis cras erit celebraturus missarum solemnia. hunc tuum consanguineum et alios proceres linea consanguinitatis adstrictos ego pro te inter-

2. ut *a*: ubi *b*. 11. ianuae *ab*.

pellabo. tu vero recitato evangelio post episcopi benedictionem pedibus advolutus regis gratiam suam sola voce supplicissima deposcito nec vultum tuum aliqua ratione detegito: alioquin vita privaberis. tunc ego et episcopus cum aliis regni optimatibus iram regis contra te extinguere temptabimus.' at ille 'inter spem curamque timores inter et iras omnem credo diem mihi diluxisse supremum.'

mox mater episcopum et omnem alium procerem filii sui consanguineum pro causa ducis interpellavit, et quilibet auxilium firmissime promisit. dux vero fideli suo Wezi-loni matris consilium patefecit, quod ille satis probavit.

39. Aurora itaque iam spargente polum dux cum comite ad ecclesiam timidus et deo devotus properat. quem solum in basilicam intrare sinens ipse parato ad manus gladio post valvas latitat ut, si dominum suum captivitatis vel alius alterius necessitatis incommodo vallatum sentiat, prosiliat et imperatorem sine misericordia interficiat. interea imperator regalibus vestibus solemniter, ut mos est imperatorum in summis festivitatibus, indutus, coronam regni gestans in capite, missarum solemnia auditurus multa procerum stipatus ambitione procedit et in choro super solium regni conscendit. interim tota basilica turbis procerum et quorumlibet hominum referta venit in templum, imperatrix regiis quoque indumentis perornata, pallio marderino circumdata. hoc vero pallium purpurea savana coopertum fuisse, sed fibula eius aurea lapidibus Indiae rarissimis et pretiosissimis praefulgora cum suis affibulariis de auro mundissimo contextis totam basilicam solis radiis repercussis luminosam fertur fecisse. haec tandem matronarum comitante caterva in chorum quoque ipsa, ab omnibus propter formae et virtutum elegantiam satis laudata, procedit et ipsa super solium innixa consedit. cuius pulcritudinem imperator considerans et in ea satis se delectans quasi iocando ait 'domina Adelheida, nunquam vos adeo perornatam hactenus praesentiae meae exhibuistis: de cetero vero placet ut semper adeo

2. advolvere *ab*. 6. curam timores inter et iras *a*, curamque timens positus ait cras *b*. *vergl. Hor. ep.* 1, 4, 12 *f*. 8. procerum *ab*. 25. purpura savina *ab*. 26. pretiosis insitiis prefulgora *ab*. 33. se *fehlt ab*.

decentissimam coram me vos offerre studeatis.' at illa 'domine, parata sum per omnia morem gerere praeceptis vestrae maiestatis. sed rex aeternae gloriae inspiret menti vestrae morem gerere desideriis meae non incestae et ineptae voluntatis.' tunc episcopus Babenbergensis vestimentis sacris solemnitatem pretiositate significantibus amictus missarum solemnia, populo quoque orationum cooperationes inchoante inchoat, evangelium dulcisona voce in propria persona recitat. demum sermonem exhortationis promulgat, inter multa hoc adiciens 'omnis virtus sine caritate nomen et rem sui ipsius amittit, quia sine radice caritatis non est virtus. omnis nempe alia virtus suadetur, ista praecipitur, sine qua impossibile est videre deum aut ei placere quempiam. expurget ergo hodie omnis homo vetus fermentum cuiuslibet peccati et praecipue expuat venenum inveteratae irae et odii. qui enim, sicut ait Boanerges i. e. filius tonitrui, scilicet Iohannes, altisonus evangelii praeco, odit fratrem suum, homicida est. dimittat ergo debitori suo Christiano Christianus debita debitoris. si quis debitor aliqua debita debet, ut deus, cuius omnes debitores sumus, debita illius cui debetur dimittat.' inter haec verba dux Hernestus cappa grisea indutus prodiit et populo astante propter impetum subitae progressionis post ducem prospectante dux genibus imperatoris provolutus ante pedes procidit et tecto per vestes vultu, nequis eum agnosceret, supplex flebili voce clamitavit 'o imperator admodum nobilis, pro honore temporalis natalitii summi imperatoris recipe me in gratiam tuae maiestatis. sunt enim offensi mihi sine culpa oculi serenitatis tuae.' illico proceres quaqua versum accurrunt et tam illi quibus causa nota fuerat quam illi quibus causa incognita erat unanimi vociferatione ut provolutum levaret imperatori Ottoni suggerunt. his imperator voce temperata et sub habitudine vultus satis disciplinata respondit 'nolo, mei proceres, ut tam subito et improviso mihi sublevationem huius a terra suadeatis, quia nescio causam offensae huius circa culmen imperatoriae maiestatis.' mox imperatrix 'mi domine, offensam, siqua est circa istum, hodie pro hodiernae solemni-

17. Iohannes *br.* 1, 3, 15.

tatis honore clementer ignoscens remitte, ut imperatorum omnium imperator, in cuius nativitatis annua revolutione hodie in universa ecclesia solemnizatur, tuam siqua est circa se offensam remittat.' imperator imperatricis precibus [obtemperans] sine mora obtemperavit et nesciens quis esset de terra prostratum surgere imperavit. osculum ergo pacis ei libans subito quis esset in facie denotavit et ob hoc iracundiae stimulus eum inflammavit. quam inflammationem rubor subito vultui eius innatus, quo ducem torve et merito oblique inspexit, significavit. tunc astantium multitudo procerum imperatori ait 'o domine, domine, venia offensae, quaecumque et quantacumque est, circa hunc debitorem pro omnium dominorum dominatore per te initiata irretractabilis est. immo per omnia regni totius honore sanciendam esse decrevimus et decernendo summopere unanimiter deposcimus.' quibus interim disciplinata voce et facie imperator 'ex quo huius veniae sententia animis sedet vestris, et meo quoque volo ut sedeat.'

40. Confluente itaque ad locum placitationis imperialis primatum et vulgi totius multitudine imperator ubi esset comes Wezilo ducem percunctatus est. cui dux 'mi domine, de prope est.' mox imperatore eum per ducem adduci mandante dux valde formidantem de vitae periculo adduxit et imperatori praesentavit. quem praesentatum imperator benigne salutavit et inquit 'huiusmodi salutem, quod sub gratiae meae tenore vos regni offensores recepi, caelestis imperator vobis contulit, quia nisi ipse cuius hodie annua devotione natalitia secundum hominem colimus Christus inspirasset, ad exterminium vitae vestrae et honoris vestri defixa sententia omnimodis insudarem.' ex his hilaratus verbis comes Wezilo timorem de vitae periculo prius conceptum deposuit, quem imperator manu propria tenuit. huic postquam imperator osculum pacis dedit, regina quoque ipsum osculata fuit, ad quod factum tota totius conventus multitudo intenta pependit. continuo pro iussu imperatoris pretiosissimis vestibus imperatoriam magnificentiam decentibus induti perornantur et ab omnibus inibi astantibus, dum missarum solemnia peragebantur, gestus

3. suam *ab.* 4. te *ab.*

duorum illorum specialiter denotantur. post missarum tandem celebrationem et a domino episcopo datam benedictionem populo et procerum multitudine de basilica exeunte comes Wezilo dominam suam imperatricem Adelheidam manu tenens eduxit et ad locum praeparationis mensarum perduxit. nec mora, dux Hernestus pro adducendis miraculosis suis hominibus legatum strenuum transmittebat, et cum adducti fuissent, in gyro magnus dominus imperator cum imperatrice et cum optimatibus suis forte considerabat. visis vero his monstris omnis residens mensas removebat, ferculorum et poculorum delicias prae amore et stupore videndi talia monstra miraculosa fastidiebat, immo tam mensae quam scamna a multitudine magis et magis confluente fine videndi miraculosos homines occupabantur. sic illorum visione satiebantur. dux vero bicubitae staturae homullulos ante se in mensa locavit; deinde inmensum gigantem ad se vocavit; postmodum Panotii indigenae Scythici venere, qui pro aurium tam diffusa magnitudine ut omne corpus suum ex eis contegant omnibus astantibus stuporem cum admiratione incussere. nec ad minus miraculum item concitantur postquam Arimaspos homines duos, quorum uterque in singula fronte unum tantum oculum habuit, adentes cum Mauris duobus etiam adentibus contuebantur. dux ergo Hernestus in ore cunctorum ad sidera in eius laude clamorem tollentium resonabat, qui lapidem unionem maxima partum labore, ut in longa retro serie elucubratum est, imperatori donabat. huic etiam et suis iuxta eorum frequentem petitionem omnes suas et suorum necessitates et tribulationum Iliadem laboriosam rememorabat. unde dominus imperator sex diebus in iudiciali consistorio cum suis tam primatum quam ministerialium suorum choris consedit et rem et ordinem talis Iliadis probatae per singula indicia, scilicet monstruosos homines quos in diversis acquisierat locis, per protonotarios suos ex ore ducis scriptis mandare praecepit. frequente etiam rogatu imperatoris, quamvis invitus, duos Arimaspicos homines, quorum uterque unum in fronte oculum habuit,

10. his] huius *ab*. 21. item] idem miraculum *ab*. 23. adentem cum maeis *ab*.

donavit. 'nunc remoto omni et singulo dubietatis scrupulo compertum habeo, dulcissime iuvenis, me sine iustitiae ratione te hucusque inquietasse et tuae ditioni hereditario iure subiciendo tam Austriae quam Bavariae regno privasse. in praesentia itaque omnium principum et ministerialium regni omnia tua irrationabiliter in fiscum regium publicando usurpata ex integro resigno et tuae dominationi restituo teque in vice filii carnalis amodo amaturus et per omnia honorando exaltaturus ero, miles strenuissime. esto etiam in regno meo post me et matrem tuam secundus et totius curiae meae dominator et ad gubernandum regnum Christianorum fidelis cooperator.' dux pro his ingentibus beneficiis ingentes gratiarum domino imperatori agens cum matre imperatrice et universa curia actiones omnia sua repossedit et in omnibus se filium imperatori paterne diligenti exhibuit.

41. Hunc rerum ducis prosperum statum ex nimis adverso transvariatum, ut coniici potest, deus, qui est in sanctis suis mirabilis, per merita Adelheidae imperatricis, sicut et alia miracula per eam operatus est, effecisse credendus est. miraculorum vero horum quaedam sunt talia. sancta Adelheida dum construeret basilicam in Selsa ad similitudinem basilicae Ierosolymitanae, carpentarius trabes basilicae illi necessarias nimis curtaverat. unde ille metuens de vitae periculo a reginae ministerialibus exulare proposuerat. [unde] tamen [ille] praesumens de pietate Adelheidis dominae desipientiam suam in curtatione trabium et exulationis ob hoc propositum confitebatur. quem illa, ut erat plena misericordiae, misericorditer consolabatur et ne ob confessam desipientiam exularet, immo ut aliqua die quando omnes arbitros in basilica illa semotos videret sibi reginae loqueretur hortabatur. unde ille exhilaratus quadam die remotis omnibus arbitris advocavit per se in basilicam imperatricem. imperatrix ergo dum ex una parte trabem unamquamque manibus propriis traheret, carpentarius quoque, quamvis primitus verba reginae iubentis trahere delira esse putaverat, traxit et per dei

11. *die ankündigung der rede fehlt nach deutscher weise: vergl. Lachm. zum Iwein s.* 465. 35. traheret *fehlt ab.*

potentiam sufficienter protelavit. idem eadem Adelheide pomum porrigente claudo cuidam in domo suo iacente ille claudus factus sospes resiliit et gressum recepit. ipsa illa imperatrix prae nimia humilitate micas regalis mensae clanculum comedere solebat. huius factum perversis quidem in contrarium pervertentibus et imperatori referentibus imperator quadam die in tali facto eam deprehendens indignanter aiebat 'quid habes in manu?' at illa 'margaritas, domine.' et aperta manu repertae sunt margaritae de micis transsubstantiatae. imperator saepenumero memoratus pro eo ut dominam suam Adelheidam diligeret, item diligere deberet, detrahens quadam die verbere afficere ipsam voluit. unde cum illa pro iussis imperatoris pallium extraheret et per radium solis proiicere ad terram vellet, radius solis illud ad sustentaculi similitudinem sustentavit. quo viso imperator deposita feritate ipsam adoravit. iuxta hunc etiam haec residens per spiritus sancti revelationem basilicam quam consanguineus suus construere initiaverat in Augusta ruere animadvertit et subito alto singultu ingemuit. causam huius gemitus cum illa iuxta frequentem regis sciscitationem ruinam basilicae in Augusta civitate referret, imperator diem et horam ruinae relatae scripto denotavit et per strenuum legatum Augustam transmissum eadem die et hora qua augusta imperatrix ruinam basilicae prodiderat ita contigisse rerum eventu edidicit. unde post in magna eam veneratione tam ipse rex quam sui habuisse feruntur. multa huiusmodi dei per istam suam famulam operantis miracula in medium iacere vellemus et ex rerum vera et affluenti experientia valeremus, sed causa vitandae prolixitatis, quae est mater fastidii, hoc supersedemus. oram chlamydi i. e. finem opusculo huic texentes tam virtutum quam praemiorum beatae Adelheidis largitorem omnes et singuli deprecemur, ut meritis eius ipsius reginae Adelheidis et aliorum omnium suorum electorum donet nobis utriusque vitae salutem, cuius trini in personis et unius in substantia aeternam credimus per saecula saeculorum essentiam et virtutem. amen.

4. pro *ab*. 10. translatae *b*. 12. idem *ab*. debet *a*.

Die früheste erwähnung eines deutschen buches vom herzog Ernst findet sich bekanntlich in einem briefe Berchtolds von Andechs an den abt Ruprecht von Tegernsee, bei Bernh. Pez Cod. epist. 2, 13. dilectissimo R. fidelique amico suo B., dei gratia quicquid est, preces cum devoto servitio. quoniam amicus in necessitate probatur et item qui est amicus semper diligit, rogo affabilitatem et pietatem tuam, sicut bene confido de te, ut annuere digneris petitioni meae et concedas mihi libellum Teutonicum de herzogen Ernsten, donec velocius scribatur mihi, quo perscripto continuo remittatur tibi. quod si feceris, parens et promptus in omnibus, quod est amicorum, apparebo. *überall wo von diesem briefe die rede ist wird er in das jahr* 1180 *gesetzt, so viel ich sehe ohne grund: im 4n bande dieser zeitschrift s.* 320 *habe ich die herkömmliche angabe ohne prüfung wiederholt. bei Pez ist kein jahr angemerkt und nur das ist sicher daſs der brief vor dem* 22 *mai* 1186 *geschrieben ist, dem todestage Ruprechts (Oefele Rer. Boic. script.* 2 *s.* 72^b); *zwei jahre darauf scheint graf Berchtold gestorben zu sein (Hormayrs sämmtl. werke* 3, 236). *Ruprecht war einunddreiſsig jahre abt.*

Daſs das deutsche buch dessen Berchtold begehrte kein prosaisches war unterliegt nach allem was wir von der litteratur jener zeiten wiſsen keinem zweifel, und richtig ist wohl die jetzt verbreitete meinung daſs abt Ruprecht das gedicht besaſs von welchem Hoffmann im ersten bande seiner Fundgruben zwei zu Prag aufgefundene bruchstücke bekannt gemacht hat. vor der entdeckung der beiden Prager blätter kannte man zwei im inhalt überein stimmende, in den worten verschiedene deutsche gedichte von herzog Ernst, das eine aus einer gothaischen handschrift herausgegeben im ersten bande von Hagens und Büschings Deutschen gedichten des mittelalters, das andere, ungedruckt, in einer Wiener handschrift (Hoffmanns Verz. s. 33). *von der Wiener handschrift hat Docen im ersten bande des Museums für altdeutsche litteratur und kunst gesprochen; mir hat Karajan eine vollständige abschrift geliehen.*

Ohne die Wiener handschrift vollständig zu kennen nennt sie Hoffmann (Fundgr. 1, 227) *eine jüngere abschrift*

des ursprünglichen gedichtes; wie irrig, mag das stück zeigen das in ihr dem zweiten Prager blatte entspricht.

s. 24a got weiz die wârheit
daz ich mit keiner tumpheit
sîne hulde hân verlorn.
nu bewîset er sînen zorn
vil ungenædeclîche.
ich wil noch in sîm rîche
eine wîle mit im bûwen,
des sol er mir getrûwen,
ez sî im liep oder leit,
daz sî ime wærlîche geseit,
mich betwinge denne grœzer nôt,
siechtuom armuot oder der tôt,
24b als ez noch vil manegen tuot.
ich habe manegen helt guot
der mich niht sô balde vertrîben lât
die wîle er daz leben hât,
daz ich im wol mac widerstân.
ez wirt alsô niht getân
daz er mir neme mîn lant,
daz spriche ich küener wîgant,
und daz mich an erbent is:
er hât ez noch niht gewis.'
  Der keiser het ein hof geleit
gên Spîre. do im daz wart geseit,
er dâhte 'ich muoz dar,
swie ich halt gevar.
ich wil komen über Rîn
wol zuo den vîenden mîn
die mir daz habent getân.'
dô welte er zwêne sîner man
der ellen er bekante:
mit den er hin rante.
  Dô si kâmen über Rîn,
dô sagte er den gesellen sîn
beidiu sîn willen unde muot.
dô dûhte si der rât guot

deu er erfunden hæte.
ez was im niht spæte
25ª do er ûf den hof geriten kam.
grâve Wetzeln er zuo im nam
und bat den andern sînen degen,
er solte der ross mit huote phlegen
und mit flîze nemen war,
daz er bereit wære gar,
ob ez im übele ergienge,
ê daz man in vienge,
daz si riten danne âne danc.
der herzoge hin in spranc
in zorne für des rîches tür.
dâ stuonden kameræere für.
si heten ez übele bewart.
die tür fundens ungespart,
der herzoge unde sîn man.
als mans gewünschet solde hân,
ez hete sich niht gefüeget baz.
der keiser bî sîm neven saz
heimlîche an eime râte.
in sîne kemenâte
kâmen die recken wert.
vil balde zucten si diu swert
und zestôrten daz gerûne.
daz geschach mit slûne.
der keiser vil kûme entran.
er liez sînen neven stân:
25b vil snelle über eine banc
(diu wîle was ime lanc)
in ein kapellen er entran.
der phalzgrâve sîn man
wart des râtes unfrô.
der herzoge sluoc im dô
einen alsô swinden slac
daz er vil smæhelîche lac.

Die unreine und nachläſsige schreibweise der dem 15*n jh. angehörenden handschrift und einige fehler in den worten habe ich berichtigt: es stand z.* 13 manig, 18 also mit gan,

20 das sprach ich, 31 das ellent, 41 graf Weneczln, 47 dann an gang, 50 seiner, 61 vnd z. dar inne, 62 mit wunne, 63 *fehlte* vil. *auf diese weise kann man allerdings das gedicht zu der gestalt die ihm der umarbeiter gab zurückführen, obwohl einzelne zeilen schwer zu bezwingen sind. aber die vergleichung der ausgehobenen stelle mit dem Prager bruchstücke wird es, denke ich, außer allen zweifel setzen daſs aus der Wiener handschrift das alte gedicht in seiner ursprünglichen form sich durch keine kunst und mühe gewinnen läſst. die mundart ist verwischt, die kraft der alterthümlichen rede gebrochen, die auslaſsungen und umstellungen des umarbeiters würden uns ohne das Prager blatt verborgen sein. dieselbe willkür zeigen die dem andern blatte entsprechenden verse, und sie erstreckt sich ohne zweifel über das ganze gedicht.*

Dichterisches verdienst hat dieser umarbeiter gar nicht, kunst und fleiſs beweist er nur in geringem maſse. denn daſs er im stoffe sich treulich an das alte gedicht hielt zeigt die vergleichung der andern abfaſsung in der gothaischen handschrift, die nicht etwa auf dem Wiener texte, sondern auf dem älteren gedichte beruht, und seine geschicklichkeit ist der absicht die ihn zu seiner arbeit bewog nicht gewachsen. das alte gedicht war in niederrheinischer mundart, in alterthümlichem tone und mit unvollkommener reimkunst abgefaſst; die erneuerung wollte die hochdeutsche dichtersprache durchführen, stil und reime glätten. sie ist in der späten und schlechten Wiener handschrift allerdings durch manigfache entstellungen verdunkelt, aber genaue betrachtung läſst oft nachläſsigkeiten erkennen die nicht dem schreiber, sondern dem verfaſser zur last fallen. nicht nur sind hier und da ungenaue reime stehen geblieben, mehrmals geht, nicht absichtlich und zu berechneter wirkung, wie bei guten dichtern, sondern roh und ärmlich, der reim durch vier zeilen, und rührende reime gegen die beschränkende kunstregel finden sich in groſser menge. z. b. bl. 58[b] dô giengen si mit mâzen für den künec rîche. beide arme und rîche neigten sich hübeschliche. dannen giengen si gezogenlîche. *die ermüdenden wiederholungen und der oft matte ton des gedichtes sind*

gewiss zu gutem theile nicht dem alten dichter, sondern dem umarbeiter anzurechnen. das ganze werk, wie ich es aus der Wiener handschrift mir anschaulich gemacht habe, trägt nicht die kunstart des dreizehnten jahrhunderts an sich: ob es gegen das ende des zwölften, ehe die gewandtere und reinere weise durchdrang, oder im vierzehnten, wo armut und rohheit überhand nahmen, abgefaſst sei wage ich nicht mit entschiedenheit zu bestimmen; wahrscheinlicher ist mir die erstere annahme. bekanntlich wurden schon damals ältere gedichte der neuern art, besonders in den reimen, anbequemt, bald mit unvollkommener geschicklichkeit, wie Werinhers Maria in der Berliner handschrift, bald mit etwas gereifterer kunst, wie dasselbe gedicht in den von Mone herausgegebenen bruchstücken oder der Ruther in den badischen und hannöverischen blättern.

Die heimat des umarbeiters scheint Baiern oder Österreich gewesen zu sein. auf diese annahme führen mancherlei sprachformen, und wörter wie dürnitz *und* ekkel *(stahl).*

Das gedicht der gothaischen handschrift ist eine zweite unmittelbare umarbeitung des alten niederrheinischen werkes. nur so erklären sich die zeilen 2473—76, ist ieman an die stat komen da er richer hûs habe vernomen, wirt daz von im kunt getân, der von Veldecken *(vielleicht* Veldekîn, *wie in Reinbots Georg* 693) wol im des gan. *damit ist nur eine durch die mundart des älteren gedichtes veranlaſste meinung des umarbeiters ausgesprochen. überliefert war kein dichtername. Püterich von Reichertshausen, der das alte gedicht oder die Wiener umarbeitung, die keinen namen nennt, in einer handschrift besaſs, sagt in seinem ehrenbriefe str.* 108 *(zeitschr. f. d. a.* 6, 51) so ist von Bairn ein Ernest auch getichtet, ein herzog lobeleiche; ich weiſs (= ichn weiz) von wem sein buech uns sei berichtet. *jene meinung aber, daſs der Veldeker das alte niederrheinische gedicht verfaſst habe, ist mit recht aufgegeben worden nachdem Lachmann (über singen und sagen s.* 12) *ihr zuerst widersprochen hatte.*

Auch diese zweite umarbeitung, die in der gothaischen

hs. erhaltene, ist kein werk eines bedeutenden dichters aus der besten zeit. in der sprache und in den reimen ist auch sie nicht frei von rohheit, die darstellung, bald umständlich und redselig, bald karg und knapp, entbehrt künstlerisches ebenmafses. aber der dichter zeigt doch weit mehr begabung als der verfafser der Wiener bearbeitung und weit mehr einübung in die geschmeidigere weise höfischer erzählung. er liebt es sittliche betrachtungen anzuknüpfen und ist in seiner freieren umdichtung nicht ohne erfindsamkeit, während jener andere und wie ich glaube frühere umarbeiter in trockener nacherzählung dem alten gedichte folgt. den unterschied des tones beider bearbeitungen mag der brief durch welchen kaiser Otto um die herzogin Adelheid wirbt anschaulich machen.

Wiener handschrift bl. 7[b]

vil edeliu herzoginne,
disen brief hât dir gesant
und geschriben mit sîn selbes hant
des rîches voget unde herre,
und mant dich, frouwe, verre
daz du durch dîne tugent
und dîne wirdiclîche jugent
merkest waz er diute.
mir habent al mîne liute
gesaget von dîner güete:
nu solt du dîn gemüete
neigen ze unserre minne.
ich mache dich keiserinne
über allez rœmisch rîche.
sô wirt dir niht gelîche
in der werlt dehein wîp.
des muoz dîn wætlîcher lîp
sîn getiuret immer mêre.
sô dienent dir, frouwe hêre,
die fürsten algelîche.
beide arme und rîche
die ich in mînem rîche hân

2. dir] ew 4. her 5. fraw ser 7. dîne *fehlt.* 8. es pedewt
12. vnser liebe 16. chain 17. waidenleicher 19. dint

sint dir alle undertân.
sô maht du, frouwe edelguot,
hôhe tragen dînen muot
durch die êre manicvalt.
mir ist gesaget unde gezalt
vil von dîner frümekheit.
nu solt du, frouwe, sîn gemeit
mîn unde der fürsten mîn.
daz dünket mich gerâten sîn
daz du, frouwe, mich lobest ze man:
sô kan dir nimmer missegân
die wîle du leben salt.
ich gibe dir rîchen gewalt,
daz du wol maht gebieten
und freuden dich genieten,
swie dir, frouwe, gevalle.
si dienent dir alle:
die dir nu wellent glîch sîn,
über die bistu künigîn.

24. edel und gût 29. sîn *fehlt.* 30. mir vnd den 31. dawcht 33. scholt 36. do du 37. dich] wol 38. wie

Gewiss ist hier dem alten texte wenig oder nichts hinzugesetzt. in der gothaischen handschrift ist er dagegen so umgearbeitet.

got grüeze dich, sælic wîp.
dîne tugende mînen frîen lîp
habent brâht ze dîme gebote.
du bist aleine mir nâch gote,
frouwe, für al die werlt wert.
mîn herze dîner wirde gert,
ouch jâmert mîne sinne
starke nâch dîner minne.
du liep vor allem liebe mir,
mîn herze hâst du bî dir.
du mîner freuden blüendez heil,
mîn muot ist dîner wirde geil.
ân dich wolte ich niht genesen.
du solt mîn freude immer wesen.
du mînes herzen sundertrût,

du solt mîn erweltiu brût
immêr vor allen wîben sîn.
Adelheit, süeziu künigin,
swaz dir der brief mit bete sage,
daz merke und wende mîne klage.
ich hân ze frouwen dich gesworn:
ouch habent die fürsten dich erkorn
und dich ze frowen erwelet mir.
volende mînes herzen gir
und schaf ez sô daz frœlîch leben
wir beide ein ander müezen geben,
hilf unde minneclîchen rât.
wol daz dîner wirde stât
daz du des rîches krône tragest
und mir mîn bete niht versagest.

247. vnd schaffe so

Noch nicht bemerkt ist, so viel ich weiſs, daſs dieser umarbeiter nachahmung Wolframs von Eschenbach versucht. so schaltet er mehrmals betrachtungen in wolframisch subjectiver faſsung ein, z. b. 1019 *ff., nachdem er erzählt hat wie Adelheid ihren gemahl vergebens gebeten habe ihren sohn nicht ungehört zu verdammen,* ich spriche offenbâre daz, ûf den ich trüege tôdes haz, würd ich von friunt sô an gerant, ich müeste ez lâzen sâ zehant. swâ ein friunt mich alsô twunge, an mir er gar errunge swaz sîn wille wære; des wære ich volgære. ich (*l.* ich sage) den keisr an sinnen laz, daz er sô verre sich vergaz gegen der werden guoten, der tugentlîch gemuoten. *ebenso sucht er in Wolframs weise zu scherzen: in der beschreibung des volkes mit kranichschnäbeln* 2570 *ff.* helse lanc unde smal si hâten, als die kranche snabel. gevuoge ein kleinez schâchzabel dâ mite hetens wol erzogen, 2869 *ff.* si flizzen sich nu ze tanze. wâ si truogen ir kranze, des wundert mich sêre. *oder, nach der erzählung wie Ernst und seine gefährten mit gebratenen fischen ihren hunger stillen,* 3543 *ff.* sie mohten sieden unde brâten, ob sie die bereitschaft hâten. ich wæne, ir kochen was dô kurz. si enhâten pfeffer noch die wurz, da enwas ezzich noch daz salz, weder kraphe noch daz smalz von den werden mannen selten lûte in der pfannen.

